



VOLVMEN ACATHOLICVM

XX. ARTICVLORVM CONFESSIONIS AVGVSTANÆ: EDITVM A IACOBO HEILBRONNER NOMINE PALATINORVM NEVBVRGENSIVM, APPRObatione Electoralium Saxonicorum, & Wirtembergensium Theologorum, Lauingæ, Anno M. DC. VII.

COMPENDIO RECOGNITVM, ET CASTIGATVM A SEBASTIANO HEISSIO, SOCIETATIS IESV, SS. Theologiæ in Academia Dilingana

DILINGAE

Ex Typographio Iohannis Mayer

M. DC. IIX.



REVERENDISSI-MO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DO-MINO HENRICO, EPISCO-PO AVGVSTANO, &c.

SEBASTIANVS HEISSIVS, SOCIETATIS IESV, GRATIAM A DEO, ET FELICITATEM.



VEMADMODVM PROPRIA veritatis vis eſt; Reuerendiſſime & Illuſtriſſime Princeps, perpetuo ſibi conſtare; ita falſitatem atq; errorem ſubſequiuntur diſcordia & inſtabilitas. Veritas enim ex DEO naſcitur, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio: falſitas & mendacium patrem habent Diabolum, qui in veritate non ſtetit; & implacabili in eam odio nunc his, nunc alijs machinis illam ſubruere nefariè anhelat; quum priora non ſuccedunt conſilia, nequiora ſuggerit; nec in excogitandis fraudibus vnquam laſſatur, aut flacceſſit. Hoc auctore & ſtimulatore miniſtri eius hæretici, & inter ſe, & à ſe ipſi diſſidentes, indies noua dogmata, eaq; deteriora diſſeminant, aut ſepultas olim hæreſes reſuſcitant. Ex vetuſtis nulli facilè tam latè venena ſua diffuderunt; nec eis tot populos infecerunt, quàm Ariani; de horum genio & more Magnus Athanaſius diſputatione prima in Arianos ſcribit: *Dum perpetuo ſcribunt, ſuamet ipſi immutantes, incertam ſuam fidem, vel potius certam infidelitatem dementiamq́ oſtendunt. Quis non damnauerit eorum audaciam? PAVCI enim numero cùm ſint, volunt tamen ſua præ omnibus valere, & quæ ab ipſis IN ANGVLIS conflata ſunt, ac proinde ſuſpecta, rata eſſe; ſummam vim adhibentes vt diſſoluant & irritum faciant totius orbis ſedulum & ſincerum* (conſenſum, atq;) *Concilium.* Arianis quàm ſimiles ſunt Lutherani! Anno 1530. Confeſſionem Auguſtanam Auguſtæ

mem. Carolo V. obtulerunt; eandem mox variè immutarunt, cuius testes sunt Hunnius & Osiander clari apud suos his annis Prædicantes. Lucas Osiander in historia Ecclesiastica, Anno 1530. fol. 146. scribit: *Quia non omnes ad manum habent Augustanæ Confessionis exemplaria pura & sincera: aliquoties enim in quibusdam (inscijs Principibus) Confessio illa mutata est &c.* Ægidius Hunnius in epistola dedicatoria Articuli de Sacramentis respondet Sacramentarijs, qui Philippum Melanchthonem Confessionis Augustanæ Auctorem secum sensisse gloriantur; *Certè quod Melanchthon à doctrina nostrarum Ecclesiarum desciscens ad vexilla atq; castra Zuingliana sese contulit, quod in gratiam Aduersariorum nostrorum antithesin 10. Articulo Confessionis annexam obliterauit & dispunxit, quod Symbolum Ecclesiarum reformatarum publicum, auctoritate non publica mutauit, haud absq; plurimorum, quos ea res tangebat, iustissimis querelis: nequaquam id primæuum & originalem sensum Augustanæ Confessionis interuertit.* Huiusmodi mutationes Zuingliano ac Caluiniano spiritui tribuunt Lutherani; sed earum principem fuisse, qui Confessionis Carolo oblatæ architectus erat, nec ipsi inficias eunt. Id iam ex Hunnio audiuimus; idem in historia sua posteris testatum relinquere voluit Osiander fol. 713. his verbis: *Philippus Melanchthon (pro consuetudine sua) semper in scriptis à se compositis, quoties iterum prælo committerentur, aliquid addere, aut mutare solebat. Idipsum etiam in recudendis exemplaribus Augustanæ Confessionis fecerat.*

Ab hoc tam doloso viro conscripta eodem Anno 1530. est Apologia Confessionis Augustanæ, quam vnà cum ipsa Confessione tanquam sinceram fidei regulam receperunt Lutherani, Anno 1537. in conuentu Smalcaldiæ habito, in quo articuli Smalcaldici sati sunt, & Romanus pontifex denunciatus Antichristus, à qua insana criminatione in Confessione, eiusq; Apologia abstinuerant. Postea Anno 1548. plura habita sunt conciliabula; Cellæ Mysorum, Iuterpoci, postremò Lipsiæ; & Adiaphoristæ nati sunt, conscriptaq; Religionis formula, quam ab omnibus tenendam non sine interminatione Mauritius Saxoniæ Elector publicauit. De hac formula Osiander, fol. 502. *Iste libellus Lipsicus maximas deinde peperit offensiones & certamina inter Augustanæ Confessionis Theologos.*

Anno 1551. scripta à perfido Melanchthone est repetitio Cõfessionis Augustanæ, & nomine Ecclesiarum Saxonicarum edita; quo tempore etiam Ioannes Brentius Confessionem Wirtembergicam enixus est. Anno 1557. Francoforti acta sunt, *quæ ad pacem inter Augustanæ Confessionis Theologos facere videbantur.* Osiander fol. 655. Idem de Anno 1558. hæc: *Conuenerant aliquot Electores & Principes Francofurti ad Mænum, & inter alia deliberabant de ratione minuendi & tollendi controuersias,*

quæ

quæ tum inter Augustanæ Confessionis Theologos vigebant. Anno 1560. Melanchthon Corpus doctrinæ suæ adornauit; quod vastum volumen Anno 1563. Lipsiæ prodijt, nescio an alibi prius: id hodie Prædicantes his titulis honorant: *impurum est, insincerum, erroribus pollutum, vitiosum.* Osiander fol. 847. 848. Anno 1568. Altenburgi in Thuringia colloquuti sunt Augustanæ Confessionis Præcones, controuersiarum sedandi causa; Colloquij fructum refert fol 811. Osiander: *multò maior animorum offensio relicta est post Colloquium, quàm antea fuerat.* Anno 1571. Dresdæ conuentum est: vbi consentientibus Academijs, Superattendentibus, & Pastoribus Saxoniæ, quæ Augusto Electori parebat, carnis Christi vbiquitas explosa est tanquam *vniuersæ Orthodoxæ Ecclesiæ, & toti orbi Christiano inde vsq; ab initio incognita.* Anno 1574. alia Confessio in Synodo Torgensi probata, adhuc tamen Vbiquitas Nestorianismi & Eutychianismi nomine proscripta fuit. Anno 1577. *deliberabatur non vno in loco tantùm, qua ratione pax inter Theologos Augustanam Confessionem profitentes constitui posset;* Osiander fol. 862. quo tempore Magistratus sui mandato pacis causa Articulos aliquos fabricauit Iacobus Schmidl. Post tot conflictus Anno 1579. & 1580. excusus est Dresdæ & Tubingæ liber Concordiæ, cuius fundamenta nonnullorum Principum iussu Anno 1578. iecerant M. Balthasar Bidembach, & D. Lucas Osiander, qui toties nominatam historiam abhinc quadriennio edidit; in qua licet sui Euangelij bella breuiter perstrinxerit: tacere tamen, quæ manifestissima erant, non potuit; auxisse nimium nec ipsi Lutherani suspicati fuerint. In publicatæ verò Concordiæ præfatione cœlestis doctrinæ nomine vna cum sacris libris recipiuntur Augustana Confessio, eiusq; Apologia, Articuli Smalcaldici, vterq; Lutheri Catechismus: in his modò duo, modò tria Sacramenta asseruntur; adeò vel à se ipsa hæc Concordia discordat. Eidem mox Anno 1581. Lutherani quidam contradixerunt, Vbiquitatem carnis Christi tanquam impium dogma exosi. *Sed & Theologi quidam,* scribit ad annum 1583. Osiander, *qui libro Concordiæ subscripserant, eumq; approbauerant, mutata animi sententia, reprehendere cœperunt. Inter hos erant præcipui, Theologi Brunsuicenses, Tilemannus Heshusius &c.* A Principibus ad hoc schisma componendum Colloquium indictum est Quedlinburgi in Saxonia; sed disputatum *fine vllo fructu. Neq; In Hodiernvm Vsqve Diem hoc schisma ad concordiam reduci potuit.* Osiander fol. 949. Procusum verò est nouum volumen Apologia libri Concordiæ inscriptum. Anno 1585. etiam Anhaltini Principis Lutherani Prædicantes se libro Concordiæ & Vbiquitati opposuerunt, quibuscum habitum est Herzburgi in Saxonia Colloquium; quod itidem *sine fructu est solutum:* Osiander fol. 965. Interim Luthera-

thera-

theranorum plurimi in Caluinianos transformantur; quare inter vtrosq; acerrimè & acerbissimè editis libris depugnatum est.

Verùm Prædicantes Palatinatus Neuburgensis, iunctis Saxonibus & Wirtembergensibus, aduersus Romanam Catholicam Ecclesiam fremuerunt; & inania meditati pepererunt tandem insanum volumen, quod à septem, vel pluribus annis conceperant, tanquam nouum doctrinæ corpus; in quo vel nihil, vel obiter de numero librorum Canonicorum; de scripturæ perspicuitate; de discrimine veteris ac nouæ legis; de libero, vel vt Lutherus maluit, seruo arbitrio; de Maiestate personæ Christi, eiusq; etiam secundum humanam naturam in locis rebusq; omnibus præsentia; & alijs quibusdam maximi momenti controuersijs; sed nascuntur Articuli contra ieiunia, flagella, festum Corporis Christi, aquam benedictam; in quibus liberiorem mentiendi, calumniandi, imperitos dementandi campum sibi visi sunt habere Prædicantes: plurima ac quarta fere totius libri pars est contra Romanum Pontificem, in quem furunt, & verè insaniunt; ac suis tanquam fidei dogma necessariò credendum inculcant, Romanum Pontificem esse, & iam à pluribus seculis fuisse ipsum verum Antichristum, quem vi & armis Regna subacturum; DEVM omniaq; sacra contempturum scriptura docet.

Et hæc in Christi Ecclesiam tam tetra criminatio Germanico idiomate euulgatur; quia ad rudiores fallendos composita est; nec sperare possunt noui Euangelij rabulæ suam fidem aliquando trans alpes ac maria propagatum iri: de Euangelio Celtis & Iberis, nedum remotioribus populis prædicando nihil cogitant. Vnis Germanis laquei positi sunt. Sed enim non deerunt, qui structas insidias patrio sermone detegant: ego pro Romana Ecclesia per omnes nationes diffusa, Romana linguâ scribere volui.

Hanc verò operam meam V. Cel.[ni] vt inscriberem, & ipsum argumentum, & summa V. Cel.[nis] in Ordinem nostrum voluntas ac merita; & Academia, in qua versor, postulant, aut potius imperant. De Religione inter nos & Augustanę Confessionis proclamatores disputatur; quem alium arbitrum deligere æquum est, quam Augustanæ sedis legitimum Præsulem? Vera, vetus Augustana Religio est, quam S. Dionysius ante 1300. annos; S. Simpertus Caroli Magni ex sorore nepos; S. Vdalricus, & longa serie Augustani Episcopi perpetuo tenuerunt. *Confingant tale aliquid hæretici. Edant origines Ecclesiarum suarum; euoluant ordinem Episcoporum suorum*: prouocat iure Tertullianus cap. 32. de præscrip. Vel Augustana ergo Cathedra, Catholicæ fidei tam constanter retinens, Acatholicam, nec Augustanam, sed Lutheranam potius, aut Melanchthonicam appellandam esse arguit eam, quæ ante 77. annos prognata est, Confessionem.

Est

Est hæc iusta caussa, cur nostram pro Ecclesia Apologeticam lucubrationem non nisi sub Augustani Præsulis præsidio edere voluerim. Idem exigit nostra Societas, quam V. Cel.° à teneris amare assueuit; singulari semper beneuolentia fouit; multis beneficijs cumulauit. Ob hæc vniuersa Societas V. Cel.ⁱ deuincta est; sed in primis Dilinganum Collegium, quod à laudatissimæ mem. OTHONE Cardinale, Episcopo Augustano erectum olim, ac fundatum, V. Cel.ᵐ vna cum nobilissimis & admodum Reuerendis summæ ædis Augustanæ Canonicis, ob fundationem non tantum firmatam, sed etiam auctam, alterum FVNDATOREM, adeoq; parentem gratissimo animo prædicat. Id beneficium quo recentius, eo vt fieri solet, nos afficit, & ad amoris vices prolicit vehementius; cuius nec vnquam senescere sinemus memoriam. Aperiam à me conceptum votum. Amisit Augustana sedes Henricum, IV. hoc nomine Episcopum, ætatis anno 77. à nato Christo 1517. quo ipso anno infelix Lutherus aduersus Ecclesiam rebellare, cœpit. Vtinam HENRICE Princeps, V. Cel.° Augustanam Ecclesiam annis plurimis felicissime gubernet: & sicut antecessor Henricus reliquerat; ita aliquando Augustam suam, totamq; Germaniam in vna fide denuo conspirantem videat. Quod vt fiat, DEVM, cui maturare facile est, quod hominibus longè abesse videtur, indesides comprecabimur. Dilingæ, VI. Cal. Ian. Anno M. DC. VII.

Facultas R. P. Viceprouincialis Societatis IESV per superiorem Germaniam.



ANC compendiariam XX. Articulorum superiore Anno Lauingæ per Lutheranos editorum refutationem à P. Sebastiano Heisio Societatis nostræ Theologo conscriptam, & à quatuor Patribus itidem Theologis visam & approbatam, ego Otho Eisenreich Societatis IESV per Germaniam superiorem pro tempore Viceprouincialis, potestate mihi ab admodum R. P. N. Præposito Generali Claudio Aquauiua facta, typis mandari permitto. In cuius fidem hoc auctoritestimonium manu nostra subscriptum, ac sigillo munitum dare voluimus. Monachij, die XXI. Ianuarij, Anno M. DC. VIII.

OTHO EISENREICH.



Partes, seu Articuli huius tractatus.






AD LECTOREM.



AGNA VIS VERITATIS est, ait S. Hilarius, lib. 7. de Trini. *quæ per ea ipsa quæ ei aduersantur, elucet: hoc enim Ecclesiæ proprium est, vt tum vincat, cum læditur; tum intelligatur cum arguitur; tum obtineat, cum deseritur.* Prodijt hoc anno vastum, tumentè spuma, ac cothurnata locutione turgidum volumen; quo Lutherani Prædicantes Romanam, Catholicam Ecclesiam euersum eunt, nescij quod *cum impeditur, magis apparet veritas*; S. Chrysosto. hom. 83. in Ioan. Neq; enim errores, mendacia, calumniæ, & id genus strophæ, quibus illa impugnatur, adeo latere possunt eos, quibus veri notitia cordi est; quique haud proprio inflati sensu, *Apostolica traditione, & fidei simplicitate*, vt S. Basilius lib. 1. contra Eunomi. loquitur, *contenti sunt.* Porro quia haud vane auguror fore, vt plures scire quidem cupiant, quam raræ virtutis, ac eruditionis opus sit, in quo adeo Lutherani magistri desudarunt; & tamen illud perlegere non cogitent; vel quia Germanice scripta non intelligunt, aut non sine tædio aliquo legunt; præsertim tam prolixe, tam confuse disputata; vel quia sapienter animaduertunt per Hæreticorum senticeta, & horrida tesqua non quosuis in-

offen-

offenso pede transire; constitui præcipua deligere, atque ita persequi, vt nimia prolixitas tædium ne generet; quod vt faciam non contradicendi libidine, sed Dei inprimis, ac Catholicæ fidei amore, & tuo, bone lector, commodo prouocor. Distribuit Prædicans totum opus in 20. articulos, hos fere in plura capita; ordinem materiarum nullum seruat; sed sine arte, & ratione articulos disposuit pro voluntatis suæ libidine; quem tamen sequi volui, in gratiam Acatholici Lectoris, vt si nostra cum Prædicantis libro conferre lubeat, facile sese expedire queat; etiamsi non semper folium referam; quod tamen in longioribus capitibus non intermittam. Statui etiam titulos articulorum, & capitum eosdem retinere, sed mutaui consilium, quum aduerti Prædicantem nec titulos formare didicisse, qui sæpius, quod extra dubitationem est, tanquam controuersiæ caput præferunt, vel calumniam, mendacium, aliudue portentum, non quæstionis summam exhibent v. g. Articulus XIII. De votis & peregrinationibus ad imagines. Caput I. de votis ad Diuorum statuas. Caput III. de imaginibus & idolis. Restitui ego talium loco eos titulos, qui controuersiæ punctum ostenderent, & neutri parti præiudicarent. De totius operis titulo mox paulo pluribus agam.



De

De titulo libri.

IS est: ACATHOLICVS, SEV NON-CATHOLICVS PAPATVS (das vncatholisch Bapstumb) id est, solida & manifestissima DEMONSTRATIO ex verbo Dei; tum ex antiquis Patribus, Concilijs, Historijs Ecclesiasticis, partim ex iure canonico, quod minime Papistarum doctrina, & superstitiosus cultus, sed Euangelica Augustanæ Confessionis Religio sit vere Catholica, Christiana, & Apostolica: DISPERTITA in præcipuos 20. articulos, principio Bauaricis ad disputandum propositos: EDITA loco continuationis Colloquij Ratisbonæ an. 1601. habiti: nomine Neuburgensium, necnon approbatione ac cum præfationibus Electoralium Saxonicorum, & Wirtembergensium Theologorum, per Iacobum Heylbrunner D.

§.1. *Venena non dantur, nisi melle circumlita; & vitia non decipiunt, nisi sub specie vmbraq; virtutum:* S. Hiero. ep. 7. cap 4. fœdissimæ hæreses Religionis nomine disseminantur; & illustribus decorantur titulis. Sed nobis propositum spectemus titulum; ex calumnijs, mendacijs, erroribus, vanitatibus, mirissimis paradoxis consutum: quid ni titulus reliquo respondeat operi; quod his quinque quasi partibus egregie constructum est! Prima Prædicantis vox, Acatholicus papatus, mendax criminatio est, qua se probat eius esse sobolem, qui à calumniando nomen sortitus, mendacij parens est; quot dein vsq; ad diuisionem libri sequuntur verba; tot aperta sunt mendacia; nec minus crassa; quam si quis profiteretur se ad oculum demonstraturum, quod non, quam olim S. Siluester Papa regebat, Ecclesia, sed Ariana pubes fuerit vere Catholica, Christiana, Apostolica, an non ridebitur leonis exuuijs indutus asellus?

Catholica Ecclesia, vt ex S. Vincentio Lirinensi discimus, est, *ad quam non vna natio, non vnus* (Germaniæ) *angulus; sed multitudo maris conuertitur*; in qua tenetur, *quod ab omnibus, quod vbique, quod semper creditum est.* Subsumo ex B. Optato Mileuitano Antistite: l. 2. contra Parmeni. *cum manifestum sit, & ipsa luce clarius, nos cum innumerabilibus populis esse, & tot nobiscum prouincias; iam videtis vos in parte vnius, aut alterius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vendicare.* Sed nolo hic pluribus prosequi, quod reliquo libro recurret. Hoc nunc ostendam Prædicantem veterum hæreticorum ingenium, & mores in se ad viuum expressisse.

§ 2. Primo enim, omnes hæretici se vere Catholicos esse deblaterabant; qui tamen optime intelligebant, huius nominis possessionem solos eos, qui cum Romano Pontifice communicabant, habere. Hinc August. cap. 4. contra epist. fundamenti: *Cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Si dixero, hoc est in Catholica Ecclesia factum; ni aliquam Romanæ fidei intelligam; profecto à nemine intelligar. Si quis audiat librum à Catholico Prædicante scriptum; ridebit nouum prædicantis epitheton; nec sciet vtrum de Caluiniano, Zuingliano, rigido, an molli Lutherano, Maiorista, Vbiquista, aliusue sectæ homine sermo sit. *Ipsi quoque hæretici*, ait S. August. c. 7. de vera Religione, *& schismatici alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam vocant; non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.* Aduerterunt id etiam Theologi, vt se appellant, Saxonici, qui in præfatione huic libro præfixa de se scribunt, fol. 8. *tunc stabit iustus Lutheranus*: quis Luthera-

theranum intellexisset, si scripsissent: tunc Catholicus contra Pontificios stabit?

§3. Secundo, olim quoque hæretici Romanæ Ecclesiæ nomen Catholicę inuidebant; eamq; à Pontificibus agnominabant. Sic 1353. abhinc annis Romani, vereq; Catholici à Nouatianis appellabantur Corneliani, teste S. Eulogio Alexandrino Archiepiscopo, in lib. contra Nouatum, vel rectius, Nouatianum, quia scilicet S. Cornelio Papæ, vt supremo Ecclesiæ capiti adhærebant. Vitio vertebant hæretici veræ Religionis symbolum. Idem iam factitant. Non odimus Papistarum, & Pontificiorum nomen; quo designamur paternæ, seu auitæ fidei heredes; item, nec Acephalum nos esse, & truncum capite corpus; non balantem sine pastore gregem; sed capiti & pastori, quem Christus Dominus instituit, nos cohærere. *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna* SVPER PETRVM, *Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest.* S. Cyprianus epist. 40. Attamen hæc ab Ecclesiæ hostibus inuenta sunt nomina, qui moleste ferunt se ab auctoribus suis denominari; proprium vero nobis, & tot seculis præscriptum est Catholicorū nomen. *Ecclesia vna est Catholica, cui hæreses alia diuersa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ proprijs vocabulis quæ negare non audeant, appellentur.* S. Augustinus c. 7. de vtilitate credendi.

§4. Ad oculum demonstrant Lutherani se veram Catholicam fidem sectari. Et Manichæi profitebantur se euidenter euicturos, quod ab ipsis staret veritas; qua pollicitatione multos deceperunt simplices; imo aureum Augustini ingenium; qui ad Honoratum scribit cap. 1. de vtilitate credendi: *Nosti enim, Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quod de se dicebant terribili auctoritate,*

 (sie

(sic Ecclesiæ in proponendis fidei capitibus, scripturis & sacris interpretandis potestatem calumniabantur) *separata; mira ac simplici ratione eos, qui se audire vellent introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quis non his pollicitationibus illiceretur? Ne nobis succenseatis*, inquit impius Eunomius, apud Basil. lib. 1 contra eundem, *quod omni elutione, ac formidine quoque neglecta* & *veritatem omni detracto velamento nudam exponamus*. Huiusmodi promissis vanissimis ad deserendam in veteri Ecclesia stationem fideles solicitant.

§ 5. Et hanc insaniam, graui sacrilegio, ex sacris scripturis se hausisse astruunt; *videas eos volare per singula quæq; sancta legis volumina, per Moysi, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud suos, siue alienos, siue priuatim, siue publice, siue in sermonibus, siue libris, siue in conuiuijs, siue in plateis: nihil vnquam pene de suo proferunt, quod non etiam scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samozateni opuscula, Priscilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumq; pestium: cernas infinitam exemplorum congeriem: prope nullam omitti paginam, quæ non noui, aut veteris testamenti sententijs fucata, aut colorata sit: sed tanto magis cauendi, & pertimescendi sunt, quanto occultius sub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim fætores suos nulli ferè cito esse placituros, si nudi & simplices exhalentur: atque idcirco eos cœlestis eloquij, velut quodam aromate aspergunt, vt ille, qui humanum facile despiceret errorem, diuina non facile contemnat oracula*. S. Vincentius Lirin. cap. 35. aduersus hæreses. Tollamus ex Heylbrunneriano Codice immenso S. Scripturæ testimonia impie, vane, ridicule, impertinenter traducta: & plurima libri pars in spongiam incumbet. Est littera, quæ occidit; non intellecta: scilicet secundum receptam in Ecclesia Dei interpretationem. Ex verbo Dei scripto sua somnia & male sani cerebri deliria defendebant Nouatianus, Photinus, Sabellius,

Dona-

Donatus, Arius, Eunomius, Macedonius, Apollinaris, Priscillianus, Iouinianus, Pelagius, Celestius; & ne de nostris taceam Lutherus, Caluinus, Zuinglius, Illyricus, Michael Seruetus, Georgius Blandrata, &c. *Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Prophetica & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.* Hæc S Vincentius Liri. cap. 2. aduer. hære. *Et Manichæi*, scribit S. Epiphanius ad Ioannem Hierosolymorum Episcopum, *& Gnostici, & Hebionitæ, & Marcionis sectatores, & aliæ hæreses numero LXXX. de purissimo scripturarum fonte assumentes testimonia, non ita interpretantur; vt scripta sunt; sed simplicitatem sermonis Ecclesiastici id volunt significare, quod ipsi sentiunt.*

§ 6. Aiunt secum facere antiquos & sanctos scripturarum tractatores; pro se esse venerabilium Patrum, & Conciliorum decreta; quos tamen aperte valere parum amice iubent, vt veteres, ita recentes Sectarij. Apud Athanasium dialogo 3. de S. Trinit. Macedonius sæpius mentitur: *Nos ita credimus, vt beatus Lucianus.* Eunomij hæc verba refert Magnus Basilius lib. 1. contra eum. *Pia illa traditione Patrum, quæ iam inde à superioribus seculis obtinuit, quasi gnomone & regula quadam primo loco proposita, hoc exacto examinis instrumento vtemur ad ea, quæ dicemus diiudicanda.* hæc fingit impostor, qui contra sanctam vetustatem auditores & lectores suos his alloquitur: *petimus inprimis à vobis & qui nunc auditores, & qui deinceps futuri lectores estis, ne maiori parti potiorem causam attribuentes, verum à falso ex ipsa multitudine discernere velitis: néue in dignitatem hominum intenti, caliginem mentibus vestris offundi sinatis; aut plura ijs, qui præcesserunt tribuendo, posterioribus aures vestras occludatis.* Quanto modestius tamen agit Eunomius quam nostri æui hæresiarcha Lutherus, qui suis imperat, lib. de seruo arbitrio: *SS. Patrum auctoritas*

suisq; de q. faciendū est. Furit in Hieronymum, quem *ingenium diuino dono aureum*, S. Augustinus epist. 9. iure compellat; quid sacrilegus Apostata? *impia & detestanda vox est Hieronymi; quin te Hieronyme conculcamus vna cum Bethlehem, cucullo, & deserto?* in commentar. in c 22. Genesis impressis Norimbergæ Anno 1550. de eodem Magno Hieronymo, & Gregorio Magno scribit: *loquuntur vterq; mendacium in hypocrisi, quando dicunt, quod amore castitatis coniugium detestentur.* in enarrat. super 9. psalmum Gradualem tomo 4. Ienensi; paulo post subdit: *quem* Iouinianum hæresiarcham *apparet plus eruditionis & iudicij habuisse in vno digito, quam Hieronymum in toto corpore.* Et isti Lutheri catuli nobis persuadebunt secum sentire Patres; Concilia; historias veteres. Fauent ipsis & iura Canonica, quibus vt gratiam rependeret Lutherus, ea flammis deuoranda obiecit; ab eis se vel morte dignum pronunciari nouerat. Refero vnicum Capitulum ex causa 17. quæst. 1. quod ex S. Gregorio sumptum est. *Ananias pecunias Deo vouerat, quas post diabolicâ victus persuasione subtraxit. Sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat nummos, Deo abstulit; considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris: qui non nummos, sed temetipsum Deo Omnipotenti (cui te sub monachali habitu deuoueras) subtraxisti.*

§ 7. *Euangelica Augustanæ Confessionis Religio.* Amant hæretici speciosos titulos. Nouatiani se vocabant Catharos seu puros teste Eusebio lib. 6. cap. 35. Manichæorum aliqui Macharij, alij Cathari stæ sunt, qui Manichæi nomen retinuerunt, *Mannichæum quasi manna fundentem, pro Manichæo id est, insana appellauerunt.* S. Augustinus hæresi 46. Gnosticos, id est, scientes, peritos, se plures appellabant hæretici, teste S. Epiphanio contra Valent. Bogomilorum nomen Bulgaris est, Dei misericordiæ imploratores. Nota

est.

est Apostolicorum hæresis. sub Euangelicorum nomine latent Lutheranorum variæ sectæ, Flacciani, Maioristæ, Adiaphoristæ, Antinomi, Osiandristæ, Stancaristæ, Synergistæ, Vbiquistæ. item Zuingliani, aliiq; Sacramentarij; Anabaptistæ; Tritheitæ: *tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & species; tot dolores, quot & colores; & tamen vnus omnium violentiæ gestus.* Tertullianus cap. 1. Scorpiaci. omnes purum putum Euangelium crepant; omnes Euangelici audire volunt. cur non Epistolares, vel potius Scripturarij, seu Baccalaurei biblici? sed præter 4. Euangelia video quintum obtrudi Augustanam Confessionem; dubito quam intelligant; primo oblatam, an emendatam; latinam, an germanicam. Nam si latinæ assentior, credendum erit corpus & sanguinem Christi in SS. Eucharistia sub, seu cum pane & vino esse; si germanicam Augustæ mem. Carolo imperatori oblatam recepero, sub speciebus panis & vini Christum esse credere, quod Catholicum dogma est, licebit.

§ 8. Sed bilem mouebo Confessionistis; oderunt enim eiusmodi quæstiones; quicquid hoc anno credant, vel sequenti credituri sint; ipsi soli sunt vere Catholici, Christiani, Apostolici. de Catholici nomine iam dictum; Christiani vocari volunt omnes hæretici; quibus hoc nomen proprie conuenire negant sancti. Magnus Athanasius in epist. de sententia Dionysij scribit: *Quis igitur istos, quorum dux est Diabolus, Christianos, ac non potius diabolicos putet? vt iam deinceps non Christo perduelles, sed etiam diabolici appellentur; nisi se immutent, & impietatem, quam commenti sunt, abnegent, & veritatem agnoscant: quod & illis vtile fuerit, & nobis decorum pro omnibus errantibus exoptare.* Apostolica dicitur Augustana Confessio; hæreticis non insueta impudentia. *Manichæi*, inquit S. Athanasius, lib. 3. de S. Trinitate, *& Phryges,*

omnesq; adeo hæreses dictitant se ita credere, vt sancti Apostoli crediderunt: vbi autem in illos inquisitum est, contraria dicere comperiuntur, ita & tu (Heylbrunner, ac reliqua Prædicantium turba) *facis.*

§ 9. Sequitur altera pars tituli, in quo liber hic prædicatur continere 20. præcipuas Religionis quæstiones, seu controuersias; quas Lutherani Bauaricis Theologis ad disputandum obtulerint. insipientissime nimirum; quare eas merito Theologi nostri non receperunt. Supponebant boni Prædicantes solam scripturam esse vnicam fidei & cultus Diuini normam, ita vt quicquid in ea non expresse legeretur, vel necessaria consequentia concluderetur, vanum & superstitiosum haberetur: hoc suum effatum extra quæstionem esse volebant, & indubitatum apud veteres Patres, quod falsum, & imposturam esse agnoscit, quisquis in sanctorum Patrum lucubrationibus hospes non est: & euincunt testimonia à Catholicis Theologis producta ac Protocollo inserta. Sapienter ergo de hoc ipso disputandum esse nostri voluerunt; quandoquidem ex hoc capite fere pendent reliqua. Ad radicem potius securis admouenda erat, vt mala hæreseos arbor incideretur; quam de ramis amputandis cogitandum, quibus decisis facile noui succrescerent. Quis fructus fuisset consecutus, si in vno particulari articulo veritati manus dedissent Lutherani; nec Lutherani amplius, & necdum Catholici? nouos hæreticos peperisset Colloquium. Disputatum est Anno M. D. XLVI. Ratisbonæ de Iustificationis articulo; de hoc seu alio disputetur experimur hæreticos esse vulpes, quæ nunquã mansuescunt, vt S. Ambrosius cap. 42. in Lucam notauit; quum se superatos aduertunt; mox ad aliud impertinens diuertunt, atq; ἀλλοτριο-φάγοι quiduis effutire malunt, quam veritati credere.

§ 10. Ex-

§10. Exemplum in manu tenemus: Ad nostrorum in proximo Ratisbonensi Colloquio argumenta nihil responsionis nomine dignum attulerunt; & ecce nunc librum euulgant, quam Colloquij continuationem indigitant, mirum quam ridicule: Atqui Lutheranis Prædicantibus etiam maxime distantia, cœlum & infernus sunt continua, vel potius idem locus. Quam discontinua sunt, quæ iam publicant, & ante Colloquium congesserant; si cum ijs conferantur, quæ in ipso Colloquio acta sunt? Huius continuandi si tenebaris desiderio, respondere debebas ad rationes quibus ostendebatur credenda esse, quæ in sacris litteris expresse non continentur; nec ex illis euidenter colliguntur. Ea non referam, vnum tantum nomino; perpetuam beatissimæ Deiparæ virginitatem sine hæresi negari non posse admittebatis; nullam tamen scripturam ex qua hic articulus necessaria conclusione conficiatur ostendistis; sed ad S. Hieronymum, Iacobe Heylbrunner, quem tuus adeo odit Lutherus, confugisti: *si Hieronymus potuit probare* perpetuam DEI matris virginitatem *ex ea* (Scriptura) *tunc falsum est, quod vos dicitis illam non posse probari ex scriptura: Atqui probauit Hieronymus ex scriptura: ergo probari potest ex scriptura.* ita tu in Colloquio Ratisbonensi sess. 10. fol. 102. edit. Monac. Mentiris, S. Hieronymus ex scripturis euidenter quidem refellit argumenta Heluidij infirma esse; sed hoc fidei dogma euidenter ex scripturis concludi minime astruit. Emendo igitur tuum syllogismum; qui sic formandus erat: Si S. Hieronymus vir acutissimus, & in scripturis versatissimus euidenter ex scriptura Deiparæ perpetuam virginitatem probare nec voluit, nec potuit; credibile est mentiri bardos Prædicantes asserentes eam euidenter ex scripturis probari posse: sed S. Hieronymus illam ex scripturis euidenter probare nec

voluit, nec potuit; neque enim id intermisisset, cum contra Heluidium ex instituto scriberet: cuius librum volue, reuolue; reperies Heluidij fundamenta scripturæ testimonijs subrui: orthodoxam veritatem non ex sacris stabiliri litteris, sed Patrum testimonijs. *Numquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commouere Ignatium, Polycarpũ, Irenaũ, Iustinum martyrẽ, &c.* Hoc Hieronymi telum est. Qui vno spiritu tot scripturarum testimonia profundis; cur hic obmutescis? cur non vnicam scripturam ex S. Hieronymo transcripsisti in Colloquio, vel in hoc tuo volumine fol. 532. vbi respondes hoc, & alia facillime ex scriptura decidi posse. Nomina scripturas; audiamus euidentes consequentias; sed magis mutus, quam piscis es; vbi tamen maxime linguatus esse debebas, si Colloquium continuare cogitabas. Ais hac de re inter nos & tuos controuersiam non esse. quid hoc ad rhombũ? num ideo in scriptura expresse continetur? sed & tuis & Catholicis controuersia est cum Caluinianis; qui à Luthero tuo docti nihil esse credendum, nisi quod scripturæ aperte tradant, negant in fidei articulis censeri perpetuam Deiparæ virginitatem, quam in scripturis traditam non inueniunt. *Perpetuam virginitatem eius* scribit Fr. Iunius in lib. 4. Bellarmi. de ver Dei c. 9. *post partum, & quidem ad mortem vsq; credimus vt assensu dignam, non autem vt dogma fidei.* Attendite Lutherani, quo vobis ducibus præcipitent Caluiniani; vestro de vnica S. Scripturæ norma fundamento illi inædificant.

§ 11. Continuatur porro Colloquium nomine Neuburgensium, suffragantibus tum electoralibus Saxonicis, tum Wirtembergensibus Theologis; quis tantæ auctoritati contraeat? Heylbrunnero subscribunt è Saxonia nouẽ integri Doctores, & duo non imperiti Magistri; è ducatu Wirtembergensi Doctores 5. Magistri 3. cum suo Ioanne

Magistro Præposito, an culinæ Præfecto. Cui non aures tinniant ad tantam testium nubem.? quis contra viginti Rabinos hiscere audeat? quid opus erat hos in libri fronte collocare; nisi vt auctoritas ei conciliaretur? sic miseri Lutherani docentur; MCC. Lateranensis synodi Patres, aliosq; innumeros susq; deq; habere; & pauculorum rabularum se fidei credere.

§12. Auctorem libri se profitetur Iacobus Heylbruñer; crederem, ni constaret iam dudum, cum de Colloquio Ratisbonæ instituendo tractaretur, consarcinata esse, quæ nunc eduntur, & magnam saltem partem suam esse, non dubito, exciperet Ægidius Hunnius, si rediuiuum dimitteret tenebrosi ianitor orci. Tuum hoc opus fuerit, sicut Apologeticũ Anti-Tannerus inscriptum, quod suo tuóq; nomine publicauit Hunnius, cuius qui scripta legerit, non difficile verum auctorem internoscet; te vmbram esse credet. Si te ab infelici Hunnio, alijsue compilata nouis fabulis, mendacijs, ac criminationibus multum auxisse quis opinetur; cum hoc non contenderim, nec tibi hanc laudem inuiderim. Te, si ita vis, auctorem compellabimus, quisquis sit.

De tribus Præfationibus.



Prima est Iacobi Heylbrunner ad tres Germaniæ Principes, serenissimum Saxoniæ Electorem, & illustrissimos Palatinum Neuburgensem, ac Ducem Wirtembergicum; quos dum à Christiana, vera, veteri Catholica Religione laudat; omnes illorum longa serie auos, proauos, & maiores, quotquot ante Lutherum vixerunt, impietatis postulat; non Christianos, sed Antichristi mancipia fuisse arguit. Constat enim, &

certissimo constat S. Bonifacium, S. Ludgerum, aliosq; Saxoniæ ac Germaniæ nostræ Apostolos Romanis Pontificibus vnius fidei consensione coniunctos, & ab his ad Religionem propagandam missos fuisse. Placet referre quæ Ioannes Letznerus Lutheranus Prædicans in præfatione historiæ S. Bonifacij Germanice editæ scribit ad Braunsweigensem Principem: *Vt speciatim de nobis Saxonibus dicam; deberemus merito salutis nostræ initia, & quemadmodum ad Christianam religionem venerimus, cogitare ac reminisci. Quod videlicet Maiores nostri, in hisce regionibus Ethnici fuerint, de* DEO *& clementi eius voluntate nihil scierint, neque Deum cognorint, sed mutis, mortuis, & diabolicis idolis seruierint, eáque, tanquam Deum, coluerint & adorarint, donec per S. Bonifacium, Carolum Magnum, Ludouicum Pium, aliosq; similes ex horrendis gentilibus tenebris, & è cæco Ethnicismo extracti, & omnium primo ad Christum, de quo nec minimum quid ante sciebant, adducti sunt.* Imo ad Antichristum, si Heylbrunnero, eiusq; similibus creditis. Nam quotquot sanctitate conspicui fuerunt, Romanum Pontificem Christi in terris Vicarium agnouerunt; Missæ sacrificium suspexerunt; sanctos in cœlo regnantes pie inuocari censuerunt; ceteraq; tenuerunt, quæ isti in Antichristi dogmatibus numerant: sed & aperte in viros sanctissimos pseudoapostoli nostri arietãt. Magdeburgenses historici præfatione in centuriam 8. S. Bonifacium incusant, quia *in hoc summo studio, arte ac vi incubuit, vt vniuersam Germaniam in potestatem Papæ Romani redigeret.* Fran. Iunius in controu. 4. Bellar. l. 4. c. 12. n. 6. scribit: *Quis pius secum habitans laudet impium illius Bonifacij scriptum,* dist. 40. c. si Papa. Lucas Osiander in historia Ecclesi. an. 723. *Recte dixeris, si hunc Bonifacium Antichristi Romani vicarium appellaueris.* Quomodo ergo Christiani ac pij, ô principes, vestri appellabuntur maiores, qui eadem credi-

crediderunt, quæ illi docuerunt? qui tot vbique templa in sanctorum memoriam erexerunt; tot Religiosorum cœnobia amplissimis reditibus ditarunt; Babylonicæ meretricis prostibula si vestros Prædicantes auditis. E quibus vnus scribit: *tanta fuit iam tum* (ab anno 728.) *huius seculi cæcitas, vt principes crederent se Christo inseruire, si opes suas in ornando Antichristo Romano profunderent.* Osiander an 728. §2. Sed æquiores superiorum ætatum principibus videbuntur; certe Constantinum Magnum, Theodosium, Martianum, Valentinianum, Carolum Magnum, laudatissimos Christianos Imperatores prædicat hic Heylbrunner. Illaudati ergo, ac Christiano nomine indigni Lutherus eiusque catuli. Magnus Constantinus Apostolorum templum magnificum Constantinopoli condidit, in quo etiam sepeliri voluit. Sanctorum reliquias pie veneratus est, vt testantur Eusebius lib. 4. vitæ Constantini cap. 58. & 59. S. Hieronymus lib. 2. contra Vigilantium Theodosius Magnus, vt Sozomenus lib. 7. cap 24. refert, Ioannis Baptistæ Basilicam exædificauit; bellum aggressurus circuibat, scribit lib. 2 cap. 33. Ruffinus, *cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat.* Valentinianus & Martianus Imp. lege 13. C. de sacrosanctis Ecclesijs, sanxerunt, vt firmum ratumq; esset, quicquid Ecclesijs, vel in Martyrum memoriam extructis templis, vel Monasterijs testamento, aut codicillo Deo dicatæ virgines & sanctimoniales relinquerent. Carolus Magnus à Romano Pontifice Occidentis imperium suscepit, cui contra nouellas sectas vnice adhæsit; eius ad Eliphandum Toletanum verba sæpe vobis repetenda sunt: *nec vestræ me paucitati in consensione huius nouæ assertionis socium admitto; sed Apostolicæ sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ,*

 & Catho-

& Catholicis traditionibus, tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo.

§ 3. Quam belle cum laudatissimorum Imperatorum Religione consentit neoëuangelica? Synodos, inquis, indixerunt ad tollendas in Ecclesia sectas. Ad generalia Concilia congreganda Romani Pontificis auctoritate op' esse fideliter agnouerunt; nec potestatem eiusmodi vt tu significas, sibi arrogarunt. *Tuam sanctitatem* scribunt ad S. Leonem Pontificem Valentinianus & Martianus, PRINCIPATVM *in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam: inuitantes atq; rogantes, vt pro firmitate & statu nostri Imperij æternam diuinitatem tua sanctitas deprecetur; vt & tale propositum atq; desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam synodum te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat.*

§ 4. Quæ de Colloquio & Postcolloquio fabularis, abunde satis à nostris Patribus refutata sunt; tu saltem Principum faciem reuereri debebas, ne tam mendax calumniator esses. Omitto cetera, palpabile hoc tuum mendacium est, apud vetustissimos Doctores extra controuersiam fuisse, quod Antichristus sit futurus Romanus, seu Romæ sessurus. Non refero Patres, quorum sententia Antichristus non Romæ, sed Hierosolymis sedebit: quam sententiam tu quidem fol. 400. comunem omnium Patrum esse negas; aliquorum fuisse inficiari non ausus; quin vt communior ita & verior est: tu vero omnium consensu mendacij conuictus es.

§ 5. Altera præfatio est Saxonicorum Electoralium Prædicantium; in qua manifestam veræ Ecclesiæ notam esse volunt affligi, opprimi, sub cruce gemere; adeoq; Romanam, quæ tam feliciter propagatur, non esse Christi Ecclesiam. Sed audiant S. Augustinum cap. 8. de vnitate Eccle-

Ecclesiæ in hoc psalmi: *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Ecce habes Christum in passione dormisse, & resurrexisse, super cælos ascendisse. Et vnde gloria eius super omnem terram, nisi quia Ecclesia eius per omnem terram? In his duabus sententijs breuissimis vos hæretici, totum quod inter vos agitur, interrogo. Exaltare, inquit, super cælos* DEVS, *& super omnem terram gloria tua. Cur Dominum Christum exaltatum super cælos prædicatis, & eius gloria super omnem terram non communicatis?* Ex Apostolorum symbolo disco Ecclesiam latissime diffusam & sanctitate fulgidam; cruci affixam esse debere non lego; quamuis nonnullam quouis tempore tribulationem à malis filijs vel apertis hostibus sustineat.

§ 6. Instar solis clarere aiunt isti tenebriones Romanum Pontificem esse Occidentalem Antichristum; Turcam vero Orientalem Antichristum nominant; de qua insolentissima insania postea articulo 14. vnum dico, & insignem in omnes Christianos Imperatores, Reges ac Principes, qui vel iam in Romana Ecclesia viuunt, vel ab annis 800. & pluribus (quibus regnasse Antichristum hic scribunt) vixerunt, iniuriam esse; & ad bello, ac sanguine omnia permiscenda hoc acutissimo lituo Principum aures circumpulsari.

§ 7. Vtrumq; diabolum Turcam & Romanum Pontificem vaticinantur ad finem mundi vsq; duraturum. Quæ Turcarum tyranni cum Christi Vicario comparatio? ita tamen est, non deficiet sedes Apostolica, quantumuis contra fremant tartara; sed spiritus mendax in ore Lutheri inuentus est; cuius hæc prophetia:

Pestis eram viuus, moriens tua mors ero Papa.

Nec exauditæ sunt sanguinariæ preces: *ego quotidie*, ait, *oro vt Deus pessundet Papam, & Turcam. sed per hanc orationem non iustificor*; tomo 6. Witeb. Anno 1556. fol. 315.

§ 8. Tertia Wirtembergensium præfatio breuior est, sed tolle paradoxa mendaciaq;, & curtissima erit. Nec Apostolo parcunt, à quo asserunt S. Scripturam appellari regulam, secundum quam omnis doctrina examinari, ac iudicari debeat. quo capite, quo libro, quaue epistola sic loquitur Apostolus; vestri capitis figmentum est; omnia fidei dogmata ex solis scripturis, reiecta Ecclesiæ auctoritate, petenda esse. Nec tamen vos primos huius erroris auctores nuncupo; in quo plures veterum hæreticorum hæsisse non ignoro. Scio Pelagianum principium: *Credamus quod legimus, & quod non legimus nefas credamus astruere*. refert S. Augustinus l. de natu. & gra. c. 39.

ARTICVLVS PRIMVS.

De iustificatione hominis peccatoris coram Deo.

Caput I. Doctrina Lutheranorum.



MIra de peccatoris ad Deum conuersione, & in veteri Ecclesia inaudita proferuntur paradoxa. Primum est fol. 14. Nullum hominem excepto Christo Domino æternam mereri posse beatitudinem. Refigatur ergo Christi Iudicis sententia Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui* ENIM, *& dedistis mihi manducare*.

§ 2. Alterum paradoxum, & prioris fulcrum est, folio eodem. Renatis confertur quidem spiritus sanctus; sed peccatum, quamdiu in hac vita sunt, nunquam tollitur; iuxta Scripturas; *super niuem dealbabor* psal. 50. *si fuerint peccata*

ta vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erant. Isaiæ 1. quomodo hic candor cum peccati nigrore consistit? *Deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra,* ait Micheas cap. vlt. Et B. Dauid: psal. 102. *Quantum distat Ortus ab Occidente longe fecit à nobis iniquitates nostras.* At secundum nouum Euangelium peccata nunquam ita mortalibus remittuntur; quin eis intime infixa hæreant. Et contra hæc ac plura euidentissima testimonia impenetrabile scutum obtenditur illud psalmi 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Quasi vero iudicia Dei sint vt hominum; qui sæpe peccatum non imputant etiam perseueranti in peccato; at Deus sicut quæ vult, reipsa confert beneficia; ita quæ non imputat, plene aufert delicta. Similiter quia Deo omnia aperta sunt quæ sunt; quicquid illi tectum dicitur; omnino non esse conuincitur.

§5. Sed ne sine ratione insaniat Prædicans, syllogismum facit fol. 15. Nullus homo peccatis obnoxius potest propria iustitia cœlum consequi: omnes homines tam renati, quam non renati sunt peccatis obnoxij. Ergo &c. Quare tam dolose, & tam ambiguis terminis exstruis Maiorem? cur nihil inter peccata mortalia & venialia distinguis? venialia enim non impediunt, quo minus vitam æternam mereamur bonis operibus; quæ tu propriam iustitiam malitiose nominas; vt DEI gratiam excludas; sine qua minime consistere veram in nobis iustitiam nullus Catholicorum inficias it. Sic ergo Maiorem forma: Nullus homo grauibus, aut leuibus peccatis obnoxius potest cœlum mereri: omnis homo grauibus, aut leuibus est obnoxius; Ergo &c. & mox apparebit

Maioris falsitas; nec minor eo sensu vera est, quasi nullo vnquam momento homo etiam à leui culpa immunis sit; sed totum vitę cursum aut longioris temporis decursum si quis computet; leuioribus maculis non vacabit; de quo Ioannes Apostolus 1. c. 2. *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*


§ 4. Tertium paradoxum eod. fol. ex prioribus ductum; nullum vnquam supererogationis opus ab homine quantumuis sancto, ipsa etiam Dei matre exercitum esse irrefragabile est. Mentiris irrefragabiliter; & aperte Apostolo refragaris ad Corinthios ep. 1. c. 7. scribenti: *Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit; & qui non iungit melius facit.* Vnde & S. Hieronymus cap. 10. contra Heluidium. *Virgo maioris est meriti, dum id contemnit, quod si fecerit non delinquit.* Obtulerunt Magi Domino aurum, thus, & myrrham; Matth. 2. tu vel ex præcepto ad id obligatos asseres; vel sanctam esse hanc munerum oblationem negabis. Maria Magdalena effuso super caput Christi oleo bonum opus operata est; ni ex præcepto operatam ostenderis, supererogationis opus admittere debebis.

§ 5. Exspectabam vt paradoxa hæc probares esse Catholica ex Patribus, historia Ecclesiastica, & canonibus; sed vix à titulo libri digressus iam oblitus videris, quæ in eo promiseras. & sane rectius omittis, quam vt sensu deprauato promas: quod postea aggrederis.

§ 6. Paradoxum 4. folio 16. Homo iustus est non nisi per Christi Domini iustitiam homini imputatam. Quare omnes ad nuptiale epulum nudi ac sine vestibus nuptialibus accedent; præter sponsum; cuius vestitus ceteris tantum imputabitur; re ipsa nihil conferetur. Contra Isaias cap. 61. *induit me vestimentis salutis; & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam*

natam monilibus. Risi cum hunc locum apud te fol. 71. inueni, ex quo ais, *sequitur sponsam vestes iustitiæ non habere à se; nec ijs indutam esse*, volget daß sie sollich e nit an vnd für sich selbst habe / quia legis, *induit me*; an phrenesi laboras? si sponsus induit sponsam; ergo ipsa induta est; indumentum hoc meritis sponsi deberi nemo negat. Sed tu sæpius verum falso misces, vt vtrunq; veri nomine dolosus institor diuendas. Fol. 72. aduersum te producis Augustinum cap. 9. de spi. & litte. *Iustitia Dei manifestata est: non dixit: iustitia hominis, vel iustitia propria voluntatis, sed, iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificat impium*. Ergo iustitia indutus est; sicut igitur intelligi nequit, quod veste corporali quis indutus sit, quæ corpori non cohæreat; ita animæ vestimentum concipi non potest, nisi animæ adsit. quare etiam psalmista: *omnis gloria eius filiæ Regis ab intus* psal. 44.

§7. Paradoxum 5. fol. 17. sola fide iustificatur homo; non spe; non pœnitentia; non caritate. quid Euangelium? *dico tibi: Remittuntur ei peccata multa; QVONIAM dilexit multum*. Lucæ 7. nec vllubi in tota scriptura habetur nos SOLA fide iustificari; nisi in Lutheri biblijs, qui hanc particulam insigni scelere adiecit. Aiunt in alio loco haberi particulam æquiualentem; *non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem* Gal. 2. verum vox Nisi hoc loco non est exceptiua, alioqui inter legis opera censeretur fides: sumitur ergo aduersatiue, vt sensus sit, non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem; quæ particulæ Nisi significatio nec apud sacros, nec apud prophanos scriptores insolens est; vt Matth. 12 *panes propositionis comedit* Dauid, *quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus*, qui vtique in Dauidis comitatu non erant; nec proinde excipiuntur. Nisi igitur pro sed accipitur, vt



etiam vertit Beza Caluinianus, te tamen Græcæ linguæ aliquanto peritior; eodem modo ἐὰν μὴ reddit idem Beza, sed, 1. Cor. 7. ver. 17. En testem, qui tecum in hoc errore sentit; sed Apostoli ad Galatas verba pro tuenda SOLA fide, non vt tu contendis, exponit. Interdum græcæ voces ἐὰν μὴ recte vertuntur, si non; vt Ioannis 15. *palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi* (id est, si non) *manserit in vite.* Disce vel ex hoc loco, quam insipienter scribas ἐὰν μὴ, vel ἐὰν μὴ in vno loco verti debere, sicut in altero.

§ 8. Si qui Patrum soli fidei iustificationem tribuunt, loquuntur de fide formata, seu viua; vel excludunt opera fidē præcedentia; aut falsas Religiones, quo modo nos dicere solemus; sola fides Catholica hominem saluare potest; non quod salutem illa ferat sine caritate; sed remouemus tantum Lutheranam, Caluinianam, Iudaicam perfidiam; minime alia præter fidem saluti consequendæ necessaria. Profecto sacramenta excludi non posse voce SOLA, agnoscunt ipsi Prædicantes; quia de his ais fol. 20. non est quæstio; similiter nec de spei, caritatis aliarumque virtutum fidem supponentium actibus agebant Apostolus, & sancti Patres; sed contra infideles & Iudæos fere disputabant. Profers pro sola fide Originem, Basilium, Chrysostomum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum; eos non excludere ceteras virtutes audi. Origenes tractat. 32 in Matthæum: *Qui profitentur quidem fidem in Iesu: non autem præparant se bonis operibus ad salutem, assimilantur virginibus fatuis.* S. Basilius in psal. 33. de Dei timore scribit: *Timor salutaris & timor sanctificationem efficiens* &c. ergo non efficit sola fides. S. Chrysostomus homil. 19. in epist. ad Rom. *Non enim SOLA fide opus est.* In illud Apostoli ad Ephesios, *elegit nos, vt essemus sancti,* homil. 1. epist. ad Eph. scribit; *ne ergo existimes solum sufficere, quod fidem nostram elegit,*

git, vitam etiam addit. homil. 11. in epist. ad Philip. *Vides* NON NVDAM *requiri fidem; sed operibus coniunctam?* S. Hilarius can. 7. in Matth. *Salus Gentium omnis ex fide est; & in praeceptis Domini vita est vniuersorum.* Principium vitae est fides, sola tamen non viuificat. Commentarios, qui Ambrosij nomine circumferuntur auctoritatem non habere, nec S. Ambrosij Mediolanensis Episcopi esse tantus Doctor scire debebas; quicunque sit auctor ille, expresse scribit in cap. 4. epist. ad Heb. SOLA *fides* NON *sufficit.* S. Augustini plurima sunt testimonia; hoc tritum satis: lib. 15. de Trinitat. cap. 18. *fidem non facit vtilem nisi caritas; sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse.* Apparet ergo, qua fide & sinceritate Patres allegarit haereticus; idem saepius in sequentibus ostendam, qua instituta mihi breuitas permittet.

§ 9. Paradoxum sextum folio 23 & copiosius folio 56. fidem esse fiduciam, & certam spem de remissione peccatorum; adeoque distinctae duae virtutes in vnam confunduntur; de quibus Apostolus: 1 Corinth. 13. *Nunc autem manent fides, spes, caritas,* TRIA *haec.* Maiora paradoxa sub Lutherana fiducia latenti notabimus, cum apertius proferentur.

§ 10. Sed tota de iustificatione doctrina duobus syllogismis insolubilibus includitur, prior folio 23. Doctrina quae in paradiso primo parenti diuinitus reuelata; à Patriarchis credita; à Prophetis & Apostolis vnanimiter tradita est, minime haeretica, sed vetustissima, Catholica & Apostolica est: at talis est Lutherana de Iustificatione doctrina. Ergo &c. Quid detineris circa Maioris confirmationem, quam inscite consequentiam vocas; nescire videris, quid loquaris. Minorem fulci. pro qua affers plura exempla, ex quibus alterum hunc

syllogismum struis fol. 24. sicut sancti Patriarchæ ante & post diluuium iustificati fuerunt; ita & nos iustificamur; sed illi per fidem iustificati sunt; Ergo & nos per fidem iustificamur. Omnino ex allatis scripturarum exemplis hęc firmatur conclusio, gratulor quod agnoscas hanc tantum te probasse, quam nullus Catholicorum negat: an Sola fide iustificemur lis est: cur voculam Sola, quam in nonnullis Patrum verbis maiusculis expressisti; in tuo syllogismo & quadam totius doctrinæ syllogeretices? cur laboras circa indubia & extra controuersiam posita? *quod ipse, Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.*

Caput II. Romanæ Ecclesiæ de iustificatione hominis doctrina.



Caput hoc de erroribus Pontificijs inscribis. Primum refers: in redemptoris opere Christo sociant matrem eius tanquam cooperatricem: cuius producuntur testes Martinus Simius, Ioannes Linsentritt, Hortulus animæ; Flosculi Francisci; & alij. Nihil illi Saluatori nostro derogant; vt § 2. declarabo. Et si quid in ipsis non secundum scientiam scriptum esset; id inique Pontificia doctrina vocaretur. Habes Tridentinum aliaq; Concilia; tot Pontificum veterum, ac recentiorum decreta; adde communem, & in Ecclesia Romana receptas sententias; hæc Pontificiæ doctrinæ nomine; non priuati cuiusuis dicta oppugna; nisi aërem verberas. Quod ex damnatis à Paulo III. Pauli Vergerij operibus colligis eo ipso approbata esse, in quæcunque stilum suum strinxit Vergerius, tuo capite digna consequentia est.

§ 2. Profitemur Christum Dominum abundãtissime, & exple-

ex plena iustitia nos redemisse, ita vt cœlestis pater paratus sit nos in gratiam suam recipere; si tamen præstiterimus, quæ ex parte nostra requirit; quis enim adeo desipit, vt velit omnes re ipsa per Christi merita à peccatis redemtos esse; & beatitudinem assecutos vel assecuturos. Non excludit ergo Christi Redemptio necessitatem fidei, sacramentorũ vsum; vt ipsi sectarij fatentur: nec à nobis requisitam cooperationem: de qua Ezechiel. cap. 18. *conuertimini & agite pœnitentiam.* Eleganter S. Augustinus lib. 2. de pecca. meri. & remiss. cap. 5. *Adiutor noster Deus dicitur. Neque adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur: quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura voluntatem rationemq; non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Si hæc certa sunt & aperta, apertus sycophanta es Prædicans. Inuocamus Dei matrem, aliosq; cœlites, vt nobis subueniant impetrando, quæ ad nostram cooperationem, & salutem re ipsa consequendam pertinent: non ad illud Christi Redemtoris officium, quo omnibus ad cœlum reserauit aditum; patet ianua, sed renitentes, vel indormientes saluti suæ non ingredientur. Idem repeto, oro Sanctos, non vt cœlum aperiatur; sed vt ego talis inueniar, qui ingredi merear. hoc si culpas, corrige Scripturas; *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. 10. *scio enim quia hoc mihi proueniet ad salutem, per vestram orationem & subministrationem spiritus Iesu Christi*, epist. ad Philip. cap. 1. *cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Philip. 2. *MVNDEMVS nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei*, 1. Cor. 7. Exclama contra Apostolum; solus Christus salutem nostram iam plene operatus est; cur tantæ iam factæ salutis & sanctificationis socium admittis hominem, cor credentis, os fidem profitentis? Oblitera Christi quoque verba,

Matth. 18. *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; vociferare, Christus me lucrifecit, nemo alius. Turbant te ista: Precibus & meritis omnium sanctorum perducat nos Dominus ad regna cœlorum; sede & dele his non absimilia: Luc. cap. 16. *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, RECIPIANT vos in æterna tabernacula.* en isti me recipient; ibi oro vt DEVS propter illos recipiat; vtrum sapit magis? vere desipis, Hippocratis vinculis alligandus.

§ 3. Error secundus tibi est. Primam iustificationem, seu gratiam, quæ in peccati letalis remissione infunditur, non meretur homo; iam vero iustificatus meretur gratiæ & iustificationis augmentum; & æternam beatitatem. hunc sacris litteris & Patribus aduersum esse vis errorem. Patrem nullum citas; Scripturæ vitam æternam vocant gratiam; sed & præmium, ac mercedem vocant; tu vnum credis; nos vtrumque. Sic & S. Augustinus cap 13. de correp. & gra. *Veruntamen, quia & ipsa vita æterna, quam CERTVM est bonis operibus DEBITAM reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur; cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; sine vlla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.* Idem cap. 8. de gra. & lib arbi. *si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut APERTISSIME dicit scriptura, &c.*

§ 4. Docemus in iam iustificato gratiam non debere esse vacuam, sed per sancta opera exercendam, & augendam, vt sic tandem salui fiamus. Argumentatur Prædicans fol. 30. hinc consequi, non saluari iustificatum, si breui post iustificationem primam tempore viuat. quid ita? bene operetur breui illo tempore; neque enim opus bonum longam moram exigit: quod si nec breue tempus concedatur; neque opera Deus requiret; & falsum est primam iustificationem non dare ius ad consequendam gloriam.

§ 5. Er-

§ 5. Error tertius asseritur fol. 31. Iustificationem præcedit nostra dispositio & præparatio. omnino; hanc requirit Deus, cum ad nos clamat: *Conuertimini ad me*. Zachar. 1. & alibi passim. Nihil hic erroris; tu vero multum falleris, cum fol. sequenti scribis olim Doctores nostros agnouisse meritum de congruo; nunc autem id taceri, quia Pelagianum & contra scripturam esse animaduertatur. Est hæc quæstio ex ijs quarum alterutra pars salua fide teneri potest; & vt olim vtraque suos fautores habuit, ita & hodie habet. Legisses Iacobum Andradium lib. 6. orthodoxarum explicationum, Iodocum Rauenstain lib. 1. apolo. contra Kemnitium, Benedictum Pererium in cap. 3. epist. ad Rom num. 85. Illustrissimum Cardinalem Bellarminum lib. 1. de Iustifi. cap. 21. tam temere hæc non effutijsses. Tu ex meritis de congruo (quod fol. 52. inique reddis Germanice, der billigkeit nach verdienen) putas sequi dispositiones gratiæ solis naturæ viribus haberi, quod Pelagius sentiebat, & scriptura damnat; sed grauiter aberras. SS. Paulinus & Augustinus, quos hic contra eorum sententiam citas, qui nos gratiam de congruo mereri admittunt; recte intelliguntur meritum de condigno duntaxat negare. Certe illi sententiæ non obscure fauet S. Augustinus epist. 105. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei.* & epist. 106 *si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur.* Subdis fol. 33. multum errare nos, quod inter dispositiones numeremus fidem & baptismum; sed nescis quid scribas; quis baptismum dispositionem tantum, & non potius efficax gratiæ ac sanctificationis vas & instrumentum esse agnoscit? fides, inquis, non tantum ad iustificationem, sed etiam ad vitam æternam disponit. Andabatarum

rum more pugnas, nescis quem tangas; nos hæc non feriunt.

§ 6. Error quartus ponitur, quod Iustificationis nomine non intelligatur nuda Dei à peccatis nos absoluentis sententia, sed interior in primis animæ sanctificatio. Verum id nos docet Apostolus 1. Cor. 6. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri*, vbi iustificatio dicitur sanctificatio, ablutio; quomodo abluitur anima, nisi per internam delicta emaculantem gratiam? & sanctificare est sanctum facere, non tantummodo sanctum vocare, seu pronunciare. eadem iustificationis voci propria vis est. *quos iustificauit, illos & glorificauit*, scribit B. Paulus Rom. 8. vt glorificatio non est nuda beatitudinis prædicatio; sed cœlestis voluptatis vbertate animæ inebriatio; ita iustificatio non est extrinsecum duntaxat iustitiæ elogium; sed interna mentis rectitudo, & ornamentum. iustificamur Dei spiritu; de quo 1. Corinth. 6. Apostolus: *qui IN vobis est; quem habetis, &c.* Iure ergo S. Augustinus ser. 16. de verbis Apostoli: *si dixerimus, quoniam iustitia nihil habemus; aduersus Dei dona mentimur.*

§ 7. Quinto, Pontificij originale aliaq; peccata volunt tolli, & non tantum tegi. quia legunt; Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui TOLLIT peccatum mundi*, vt sexcenta alia taceam. Si tolleretur originale, argumentatur Prædicans; tollerentur quoque fructus eius; qui sunt concupiscentia carnis, contra spiritum rebellio, moriendi necessitas. Huius argumenti ductu tradit Ægidius Hunnius in cap. 6. epist. ad Romanos fol. 92. *Peccatum originis ita vniuersam peruasit substantiam hominis, vt non nisi per destructionem corrupta & in puluerem redacta carne penitus extirpari possit.* idq; probat ex Lazaro, & alijs à morte in vitam reuocatis; qui denuo

suo mori debuerunt: quod non accidisset; nisi peccatum etiam in cadauere infixum mansisset. ô pepones. etiam emortua caro peccatrix est; quo vestra vos rapit dementia? Quid notius, quam cessare frequenter causam stante fructu, seu effectu. Comburatur arbor, an ideo marcescent ex ea collecta poma? Percussionis effectus est inflictum vulnus; manet vulnus, licet percussio non sit amplius. Homo in peccato conceptus debitum moriendi in quandam peccati vindictam contrahat; inde tam parum sequitur, sublato peccato mortis cessare debitum; quam parum consequens est, furem ideo supplicio affici non posse, quia furari desijt. Contendis ipsam concupiscentiam esse, & ab Apostolo dici vere peccatum. Addis Augustinum lib. 1. de nuptijs cap. 25. quam recte, intelliges ex eodem lib. cap. 23. vbi de concupiscentia scribit: *vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum iam in renatis* NON SIT *ipsa peccatum*: *sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua*; *& manus vocatur Scriptura &c. itemq; sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit sicut vocatur frigus pigrum.* Potest etiam dici peccatum late, id est, vitium seu malum; quo modo loquitur S. Augustinus lib. 5. contra Iulianum cap. 3. quem allegas, sed non intelligis; verum sensum colligere poteras ex lib. 6. cap. 5. *tu autem, qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptizatur, multum erras; omni enim peccato caret, non omni malo.* Concupiscentiam, de qua Apostolus cap. 7. ver. 7. ad Roma. *concupiscentiā nesciebam &c.* agnosco vere, & proprie peccatum dici; quia actum concupiscendi, seu concupiscentiam in actu significat, quæ accedente hominis consensu peccatum fit.

§ 8. Redis ad tuendam imputatiuam tantum iustitiam; & nugaris nunquam imputatum dici, quod re ipsa inest. ergo, qui alteri crimen imputat, id illi inesse negat? Recte

fateris fol. 41. hanc vestram doctrinam contra rationem esse; pro qua tamen fol. 42. sic ratiocinaris. Iustitia nostra est in Christo, & ipse est iustitia nostra; Ergo non est in nobis; forte nec vita in nobis erit; quia scriptum est; *in ipso viuimus, & mouemur, & sumus:* Act. 17. *ipse est vita tua, & longitudo dierum tuorum.* Deutero. 30. sicut igitur vita nostra; & psal. 70. *patientia nostra* dicitur DEVS; quia eius hæc sunt munera; ita & iustitia; quam omnino illi acceptam ferimus: nec probamus eos, qui de indepta iustitia gloriantur, quasi non acceperint; quos arguunt, quæ ex S. Augustino folio 43. profers. Imperfecta iustitia, ais fol. 44. non potest nos iustos constituere; nostra fides, spes, caritas sunt imperfecta: Ergo, &c. verissimum de fide, spe, caritate Lutherana; sed vera fides, & ceteræ virtutes maxima Dei dona, & valde bona sunt; tu omnipotentis opera ne imperfecta dixeris; *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.* Iaco. 1. *Si diligamus inuicem*, scribit S. Ioannes epist. 1. cap. 4. *Deus in nobis manet, & caritas eius* IN NOBIS *perfecta est*: tametsi omnis res creata creatori comparata negatiue, non priuatiue imperfecta æstimetur. Cum in amando alteriusue virtutis exercitio delinquit homo; is operantis non virtutis est defectus: quemadmodum error contra Grammaticæ regulas non arti, sed artis neglectui adscribitur.

§9. Falsum esse ais, folio 49. quod iustus non sit beatus; bene addis; spe. quis hoc negat? gladium in tenebris ventilas.

§10. Grauis error, te iudice, est; negare quod sola fides iustificet. Lege Apostolum 1. Cor. 13. *si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Quomodo iustificet mortua? Iacobi 2. cuius forma, seu vita est charitas. Tu contra folio 48. si caritas fidei

vitam

vitam dat; ergo prior est, quam fides. Cum S. Augustino tract. 26. in Ioan. quæro: *spiritus tuus viuit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis, qui viuit. Qui autem hoc non potest respondere, nescio si viuit. Quid respondet omnis qui viuit? Corpus vtique viuit de spiritu meo*, tu inferes; ergo spiritus prior est, quam corpus. helleboro opus habes.

§ 11. Ex pluribus Scripturæ testimonijs probas fidem, spem, & caritatem non vnam, sed tres virtutes esse. quem somnias hostem? Agnosco Eunomium hæreticum, de quo S. Basilius, lib 1. contra eundem: *assumit nonnulla ab omnibus concessa, vt ex eo, quod bene in ijs sentit, fides etiam ipsi in ceteris habeatur.* vos potius fidem & spem confunditis, vt cap. 1. §. 9. adnotaui.

§ 12. Fides iustificare dicitur, non quod sola iustificet; sed quia iustitiæ initium ac fundamentum est. Tu hoc in erroribus numeras; & tribus futilibus paralogismis fol. 53. impugnas. I. Per fidem habemus remissionem peccatorum, & vitam æternam; Ergo, baculus in angulo. II. Per fidem finem nostrum attingimus; ergo non est tantum initium iustificationis. Per litterarum rudimenta peruenitur ad perfectam doctrinam; ergo illa non sunt tantum discendi principia. III. Fide tanquam hypostasi innituntur omnia, quæ speramus; Ergo &c Fundamento totum ædificium nititur; Ergo fundamentum non est tantum fundamentum, sed perfecta domus.

§ 13. Tandem aliquanto apertius folio 59. de vestra iustificante fiducia loqueris; nec tamen plene adhuc pandis mysterium; forte, ne in Caluini scholâ transijsse videaris. Vis iustum debere credere fidei certitudine sibi remissa esse peccata; qui hoc non credit, Deum remissionis peccatorum promissorem mendacem arguit. Velis nolis Caluinista es. Si mendacem ponit Deum, qui non infallibi-

liter credit se gratiam consecutum; ergo etiam mendacem arguet, qui non infallibiliter credit se gloriam consequuturum; vtramq; enim, gratiam scilicet & gloriam promisit Dominus. quare si ob quantumuis generalem & conditionalem gratiæ promissionem, quiuis tenetur fide infallibili credere se esse iustificatum; ergo ob eandem gloriæ promissionem tenebitur fide infallibili credere se ad cœlum peruenturum. Tu hoc consequens non inuite admittes; quin id aperte fol. 99. tenes. Ego pergo; Nullus, qui aliquando habuit infallibilem fidem se ad cœlum peruenturum; damnatur: omnis qui quocunq; tempore iustus fuit, habuit infallibilem fidem se ad cœlum peruenturum: Ergo, nullus, qui quocunq; tempore iustus fuit, damnatur. Maior est euidentissima. nam si talem fidem habens damnetur, fides illa falsa, haud infallibiliter vera fuit. Minor ex tuo penu prompta est. In conclusionem si concedas, Caluinistam te posthac salutabimus; Caluinistæ enim tradunt, & ex Minori tua ac sua consequi aduertunt nullum vnquam esse, fuisse, aut futurum iustum, nisi prædestinatum. A quo vos errore longe abesse vultis, vt videre est ex tuo Hunnio in 8. & 11. cap. epist. ad Rom. Hunc solue nobis nodum; quæ tu obijcis, araneorum telæ sunt. Nam promissiones gratiæ sunt conditionatæ; nihil Deo diffidimus; sed an requisitas à nobis conditiones habeamus infallibiliter certi non sumus, seclusa speciali reuelatione, quam si Apostolus Paulus habuit; priuilegium fuit, minime commune omnibus fidelibus datum. Latro in cruce, inquis, de suæ personæ salute infallibiliter à Christo certus factus est. fide dignissimam ipsius Domini reuelationem audiuit; cui tuto credet, quisquis similem de se in particulari habuerit. Sine speciali vero reuelatione non infallibilem quidem de statu gratiæ, aliquam tamen seu

mora-

moralem, seu coniecturalem certitudinem habere possumus; ad eamque comparandam nos excitat Apostolus, 2. Corinth. 13.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Theologi Augustanæ Confessionis prohibeant bona opera.

NEgas, idq; asserentibus calumniæ dicam scribis. Quæro, an Theologus Augustanæ Confessionis fuerit tuus Lutherus: qui in argumento epistolæ ad Galatas 1. editione scribit: *summa ars, & sapientia Christiana est nescire legem, ignorare opera, & totam iustitiam actiuam.* Idem in sermone de nouo testamento, seu Missa: *Caueamus à peccatis, sed maxime ab operibus bonis, & legibus, solamq; promissionem Dei attendamus & fidem: ipsa enim breuis est perfectio, nec aliqua lex requiritur, nec opus: imo & legem profundit & opus.* Deinde, peccata sunt prohibenda; sed omnia bona opera vestro calculo sunt peccata: Ergo etiam prohibenda. Lutherani, & Ducis Saxoniæ Theologi erant qui in Altenburgensi Colloquio dicebant: *precari oportere, vt in fide sine omnibus operibus bonis vsq; in finem perseueremus.* Lucas Osiander in historia Ecclesiastica, Anno 1551. scribit: *His temporibus iam agitabatur controuersia noua inter Theologos Augustanæ Confessionis: Nam Doctor Georgius Maior asserebat bona opera necessaria esse ad salutem; Nicolaus vero Amsdorfius & ipse Theologus docebat: Bona opera esse perniciosa ad salutem.* Hæc Osiander, cuius filius, primo loco inter Theologos Wirtembergicos Heylbronneriano Codici subscripsit. Et ne dubites Amsdorfium fuisse Lutheranũ, audi eundem Osiandrum ad annum 1559. fol. 669. *Nico-*

laus Amsdorfius Theologus Lutheranus; quem Lutherus ipse Anno 1542. Episcopum Numburgensem inaugurarat.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum bona opera sint meritoria, & satisfactoria.



T negas impie, & negata probas stolide; haud recte distinguens gratiæ meritum à merito gloriæ: gloriam meremur, ipsam iustificantem gratiam ex condigno non meremur. Verba ad Roma. 11. εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον, οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον. *Si autem ex operibus, non amplius est gratia: alioqui opus non amplius est opus*: quæ in Græcis codicibus leguntur, nihil orthodoxæ de meritis doctrinæ officiunt; quamuis adiectitia videantur; vnde & à Latino vetusto interprete omissa, & à S. Chrysostomo alijsq; nonnullis huius epistolæ commentatoribus non sunt exposita.

§ 2. Probas, quod non debeamus gloriari de meritis nostris, ipsi docemus tum ob vitandum inanis gloriæ periculum; tum ad auctiorem à Deo promerendam gratiam consultissimum esse fiduciam suam in Dei potius misericordia reponere, quam in suis meritis; præsertim cum adeo non constet odio, an amore digni simus. Verum aliud est, non gloriari in meritis; aliud, non habere merita. *Non glorietur*, legimus apud Ieremiam c. 9. *sapiens in sapientia sua; & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis:* an inferes? ergo nullus habet sapientiam, fortitudinem, diuitias. Iactantiam meritorum compriment verba Saluatoris Lucæ 17. *cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Bene hoc dictum ponderat S. Chrysostomus hom. 3. in verba

Isaiæ; Vidi Dominum &c. quem S. Doctoris locum non citasset folio 78. Prædicans: si recte expendisset: verba S. Chrysostomi sunt: *Neque dixit; cum omnia feceritis, inutiles estis; sed, vos dicite; inutiles sumus. Dic, ne metuas; non ex tuo iudicio fero sententiam. nam si tu teipsum dixeris inutilem; ego te vtilem coronabo.* Aduerte, quomodo Scripturas tractent Patres; quas vos ad impia vestra sensa deprauatis. *Alius manu scripturas*, ait Tertullianus, cap. 37. de præscrip. *alius sensu expositiones interuertit.* quod tibi toto passim volumine solemnissimum est. Sic paulo post, fol. 69. ex verbis iustorum Christo Iudici respondentium: *Domine, quando te vidimus esurientem?* &c. concludis, illos significare, se nihil vnquam cogitasse de vita æterna per misericordiæ opera promerenda. consequenter etiam iniusti, te interprete, se excusant, quod nunquam sciuerint nihil boni operatos ad infernum detrusum iri. Apage delire Prædicans; nimis apertam scripturæ vim infers. B. Dauid psal. 17. bis repetit: *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam.* tuum glossema fol. 70. est, eum loqui de causæ, non de personæ iustitia; causæ vero iustitiam non pertinere ad controuersiam de merito hominis ad Deum. Nescis, quid scribas; omnino pertinet; nec in foro Dei vniuersam vitam nostrã iudicaturi causam iustã habebit, nisi iustus; nec iustus esse poterit, nisi causam iustam habuerit. Verba Isaiæ cap. 64. u. 6. *Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruata vniuersæ iustitiæ nostræ*; quæ de impiorũ operibus dicta sunt; tu de bonis operibus intelligi contendis, quia ad iustos pertinẽt verba versus 8. Quid non conficies, si eiusmodi consequentias in scripturis præsertim prophetarum nectere perrexeris?

§3. Errores numeras, sed tuos; quorum non minimus, mandata Dei seruatu impossibilia esse f. 72. *Iugum meũ suaue est*, inquit Dñs, *& onus meũ leue*: Matt. 11. & Ioañes Apostolus,

mandata eius grauia non sunt. 1. Ioan. 5. Ais hæc ad Christi præcepta pertinere; non ad decalogum, seu mandata Mosis; quæ noua & plane acatholica limitatio est. sed & te ipse iugulas; nam Christus asserit se difficiliora exigere, quam Moses; si ergo illa seruari possunt; cur non ea, quæ minus ardua sunt. Item, decalogum seruat, qui, vt debet, proximum diligit; *omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Galat. 5 sed hoc est proprium Christi mandatum, vt tu ipse hic fateris: & loquitur Dominus. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.* Ioan. 15. Ergo est facile, & consequenter etiam decalogus in hoc contentus Præterea, cum ad decalogum seruandum sub inferni pœna obstricti simus; si seruari posse neges, Deum accusas; vt obseruauit S. Chrysostomus hom. 16. in epist. ad Hebræ. *Non licet dicere: non possum; nec accusare opificem: nam si nos facit impotentes, & tamen præcipit, ipsius est accusatio.* S. Augustinus cap. 10. de fide contra Manichæos. *Quis enim non clamet stultum esse præceptum dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere, & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere? & has iniustitias & iniquitates miseri non intelligunt Deo se adscribere.* Eadem Paulinus ad Celantiam inter epist. S. Hiero. *Domino reclamamus, & dicimus nos vel difficultate, vel impossibilitate mandatorum premi: nec sufficit, quod iussa non facimus, nisi etiam iubentem iniustum pronunciemus.* Omnes peccamus, argumentaris folio 75. ergo præcepta non perfecte seruamus. Multi non seruant, quæ seruare possunt: sed nec nos de tam perfecta obseruantia vobiscum disputamus, quæ leuia quoq; & venialia peccata excludat; absq; crimine seu mortali culpa legem à quouis, Diuina opitulante gratia, quæ non deerit, impleri posse dicimus. Vt tam perfecte Deum diligamus sicut Sancti in cœlo, non præceptum; sed præcepti

ceptifinis eſt; ſi non nemo Patrum præceptum appellat; loquitur eo more, quo dicimus militi præceptum eſſe vincere; medici officium eſſe ſanare ægros; cum tamen miles ad fortiter pugnandum teneatur; quod medium tantum ad victoriam eſt: & medicus perfecte ſuum munus explet, ſi conuenientia remedia adhibeat, licet ſanitas non conſequatur.

§ 4. Folio 76. in ſupererogationis & conſilij opera impetum facis. *Si præcepta, implere nequimus, multo minus poſſumus plus facere, quam præceptum ſit: Antecedens eſt verum, ergo & conſequens. ſed nec decet nos plus facere, quam præceptum ſit; quia id Deus prohibuit*; Deuteronomij 4. In pauca verba congeris non pauca falſa, & abſurda. primo enim ad opus ſupererogationis non requiritur, vt quis præcepta omnia impleat, modo opus bonum extra præcepta exerceat. Deinde falſum eſt, nos non poſſe ita ſeruare præcepta, vt nullo graui delicto violentur; nec ob leue delictum quis abſolute præuaricator legis denominatur. Inſuper inauditum paradoxum eſt, non decere vt plus oremus, plus eleemoſynæ demus &c. quam præceptum ſit; & tamen ad hoc ſtabiliendum Scripturam teſtem vocas. *Non addetis ad* VERBVM, *quod* VOBIS LOQVOR, *nec auferetis ex eo.* Deut. 4. Moſes certo loco & tempore, ſermonem quendam ad Iudæos habuit, in quo nihil de Chriſti natiuitate, morte, reſurrectione, nihil de Chriſti Eccleſiæ, & nouæ legis ſacramentis, ac ceremonijs; ſed ceremonias, aliaq; mandata in ſermone illo, non per Scripturam, Synagogæ tradita integre ſeruari præcepit: ita vt nihil omitteretur, nihil etiam mandatis illis aduerſum admitteretur à Iudæis: Ergo nihil credendum, nihil faciendum vnquam fuit ab vllo homine Iudæo, aut Chriſtiano, niſi quod ſcriptum legimus. An placet vobis hæc conſequentia? Veſtram gnatam paren-

tes agnoscite; quam vero illa multorum errorum vel si matris beanismorum, fœcunda sit, satis in Collo quio, & editis de eo scriptis ostensum est: idq; superiore anno te vir amplissimus Ioannes Pistorius perbene docuit. Verũ in Colloquio contendebatis nihil credendum, vel ad cultum Dei suscipiendum esse (quod ipsum verborum Mosis, qui nec fidei nec cultus meminit, assumentum est) nisi quod scriptum legeretur; nunc longe maius paradoxũ obtruditur, nullum scilicet Deo gratum opus fieri, nisi quod in scriptura mandatum esset. Prædicauit Deus ipse per Ieremiam prophetam cap. 35. Rechabitas; quod sibi in perpetuum vino interdixerint; in qua scriptura id legerant? Diem festum ob victoriam de Holoferne obtentã instituerunt Hebræi, Iudith vltimo; dedicationis diem quotannis celebrandam sanxerunt Machabæi 1. Mach. 4. neutri ex præcepto. Respondes fol. 551. gratiarũ actionem in præcepto esse, ex qua festa illa sint instituta. Etsi gratiarum actio, oratio, eleemosyna &c. in scripturis generatim præcepta sint; ea tamen præcepta non quouis loco, & tempore obligant; nec ad quosuis actus; de his quæritur, an in particulari hoc ieiunium, hæc oratio, hæc festi celebritas, & quicquid pie quouis loco & tempore agitur, sit in præcepto; quod non nisi stolide affirmare potes, nec negare, nisi supererogationis opera admittas.

§5. Negas folio 77. consilium dedisse Christum adolescenti, cui dixit Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælo.* præceptũ hoc esse vis. Hæcne Prædicans est Catholica interpretatio? an non quotquot interpretati sunt, consilium esse docuerunt? quod re ipsa secuti sunt tot sanctitate & doctrina eximij viri, tot monachorum millia. De veterum interpretum sententia vnum ex Græcis, alterum ex Latinis te-

stem

Item do. S. Chrysostomus hom. 21. in 1. ad Corinth. eisdem Christi verbis auditores suos ad supererogationis & consilij opera non sine desidiæ exprobratione prouocat. *In diuite alia quidem præcepit Dominus, alia vero permisit libero animi arbitrio. Non dixit enim; Vende quæ habes; sed, si vis esse perfectus, vende. Nos autem non solum non contendimus, vt laudem & honorem consequamur, neque quæ sunt præcepta exsuperamus, sed longe etiam abest, vt præceptorum mensuram impleamus.* S. Hieronymus epist. 8. cap. 7. *Si vis, inquit* Christus, *perfectus esse. Non cogo, non impero; sed propono palmam, ostendo præmia: tuum est eligere.* Verum vt Scripturæ sensum inuertis; ita mox folio 79. S. Gregorio vim infers; quasi neget opera nostra esse meritoria; & fraudulenter verba quibus ille suos incusat defectus, ad omnia fidelium opera extendis. quare omisisti verba proxime sequentia? *fraternis auribus omne quod in me latenter ipse reprehendo, incunctanter aperio.* lib. 35. in Iob cap. vlt.

§ 6. Nolui tacere eleganter Hebraizantem passim Prædicantem, vt folio 73. **Da der König Hiskia das Passah außgeschrieben.** *Cum Rex Hiskia* (Ezechias) *per epistolas Passah* (Phase) *ediceret.* Si Hebraicas voces adeo deamas; scribas, cum Chizchijahu Rex ediceret Pesach. Verum si Apostoli & Euangelistæ, cum Græce scripserunt, Hebræa vocabula Græca formatione nonnihil leuigarunt, cur vos tam Euangelici adeo Rabinorum studiosi estis? De Basilidianis hæreticis scribit S. Hieronymus epist 29. *Armagil, Barbelon, Abraxas, Balsamum, & ridiculum Leusiboram, ceteraq; magis portenta, quam nomina, ad imperitorum & mulierculartum animos concitandos, quasi de hebraicis fontibus hauriunt, barbaro simplices quosq; terrentes sono, vt quod non intelligunt, plus mirentur.* de vobis hæc scripta accipio.

ARTICVLVS QVARTVS.

De quibusdam bonis operibus in particulari; ieiunio scilicet, vita monastica, voluntaria flagellatione.

Caput I. De ieiunio.

IN particulari delirare incipis; ad quid enim hæc oggeris? *pisces in Scriptura vocantur carnes; ieiunare in veteri ac noua testamento semper significat abstinentiam ab omni cibo:* vnde colligis nos non ieiunare, quia comedimus. Qua ieiunamus, formaliter loquendo (si hos terminos capis) non comedimus; eodem tamen anno, mense, die, quo ieiunium peragitur, cibis permissis vesci licet. Laudat S. Hieronymus epist. 25. cap. 5. Paulam orationi, ieiunijs, lectioni vacantem quotidie; te interprete, nunquam illa comederit. In Scriptura, inquis, ieiunium semper significat abstinentiam ab omni cibo. De viris Iabes Galaad legimus 1. Paralipo. 10 eos septem diebus ieiunasse; hos nihil omnino comedisse asserere ausis? amplius audebis; Iuditham scilicet pluribus annis extra dies festos cibum non gustasse, de qua legimus Iudith 8. *ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.*

§ 2. Apostolus de se ipse scribit 2. Corinth. 11. *in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs* MVLTIS. Prædicantis sententia est folio 80. Paulum ieiunasse ex necessitate, quando deerat, quod comederet; quod Prædicanticum ieiunium est. nec aduertit delirus S. Paulum ieiunia discernere à fame & siti. num victus inopiam suasit idem Apostolus:

lius cum scribit ead. epist. cap. 6. *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, &c.*

§ 3. Ieiunij leges à Montano originem ducere mentiris, folio 82. *Quadragesimale ieiunium ne spernatis*, scribit ad Philippenses S. Ignatius discipulus Apostolorum; à quibus id esse institutum vnanimiter sentiunt veteres, & vere Catholici Patres; ab his tu fidelius, quam à tuis Magdeburgensibus didicisses Montani qui errores fuerint. Quæ contra eum ad Marcellam epist. 54. tradiderit S. Hieronymus audiamus: *Nos vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus: illi* (Montanistæ) *tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores: non quod & per totum annum, excepta Pentecoste, ieiunare non liceat: sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.*

§ 4. Transis ad alterum mendacium eodem folio, quod repetis fol. 107. S. Chrysostomum contra Quadragesimale ieiunium scripsisse homil. 47. in Matth. & homil. 11. in Genesin. Aduertite quæso vulpem hanc. S. Doctor dicta hom. in Matth. tradit potiori loco habendas caritatem, misericordiam, & similes virtutes; quam ieiunium, cilicium, & alias corporis afflictiones; illas expresse Christū docuisse, non autem has. Verba citat impostor, subticens sequentia: *Hæc dixi, non quia ieiunium mihi non placeat; quod magnis soleo efferre laudibus: sed quia doleo, si ceteris neglectis satis ad salutem vobis ieiunium existimetis.* Ex hom. 11. in Genesin profers hæc: *Nec erat institutus delectus ciborum, quod Apostolus dixisset: Mundis omnia esse munda.* Nihil horum ibi Chrysostomus, sed hæc habet: *sicut in mari littora sunt & portus, vt in eos è iactatione se recipiant nauigantes, & exspectent donec ventorum impetus conquiescant, & sic iterum nauigare incipiant: ita & nunc hi, qui in hac Quadragesima ieiunij cursum suscepere*

F &c. Et

&c. Et paulo post: *Hæc nunc dico, non vt caritatem vestram contristem, sed vt excitem & instruam, non simpliciter ieiunijs corpus castigare, neque temere & in vanum dies Quadragesimæ* SANCTÆ *transmittere.*

§ 5. Præter S. Chrysostomum citatur S. Augustinus, qui ad Casulanum scribit: non inueniri definitum, in sacris puta litteris, à Christo vel Apostolis ieiunij tempus; quod nihil aduersum nos est. Et tamen folio 84. vanissime gloriaris te palpabiliter (handgreifflich) ex doctrina Christi, Apostolorum, & veterum Doctorum demonstrasse Quadragesimæ ieiunium minime ex Apostolica traditione natum esse. Scripturæ nihil omnino nos, sed Encratitas, Manichæos & similes feriunt. quare tam de his, quam de Patribus palpabiliter mentiris. Quo vero apud Catholicos Patres loco Acatholici Prædicantes sint, ex S. Augustino intelliges, qui hæresi 53. inter cetera hæresiarchæ Aërij dogmata hoc numerat; *nec* STATVTA *solemniter celebranda esse ieiunia, sed cum quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege.* Hæc ipsissima Euangelica vestra libertas est.

§ 6. Eodem folio tanquam insolubilem ponis hanc quæstionem: si Apostolica traditio est carnibus in Quadragesima abstinere, cur Papa & sacerdotes accepta pecunia dispensant? Cur tu sine pecunia, tuomet genio toties mentiris & calumniaris? Superiorum esse dispensare in legibus, nemo ignorat; hoc si tu in statutis Apostolicis illicitum esse opinaris, is è mille erroribus tuis vnus erit. Cuiusq; etiam loci circa quædam ieiunia probatas consuetudines esse obseruandas, S. Augustinus epistola 118. docet; tu folio 85. inde scite colligis esse comedendum, quidquid apponitur. Quare non legisti quæ de ieiunijs, alijsque Ecclesiasticis moribus eadem epistola traduntur? *Si quid horum*

horam tota per orbem, vt Quadragesimam, *frequentat Ecclesia: quin ita faciendum sit disputare insolentissima insania est*.

Caput II. De vita Monastica, & Religiosis.



ἵτε κύνες, οἷαίπερ δέσποιναι, ait Plato lib. 8. de Rep. Catulæ tales, quales dominæ. Quid de Monastica, & statu Religioso exspectare poteramus à transfugæ & toties periuri ac sacrilegi Monachi catulis, quam mendacia, calumnias, rabiosos latratus? Sed criminantium furore & æstu non abripiar. Oderunt vel ipsum Societatis Iesu nomen; tu id superbiæ adscribis, quasi non contenti communi Christiani nomine ceteris eminere cupiamus. Christiani sumus, sed in Christianorum multitudine sunt distinctæ functiones, status, & partes; sicut in quouis corpore, quauis Rep. tu manum in ius voca, quod non membrum tantum, verum etiam manus vocetur. Reprehende Apostolos qui se Christi Iesu seruos scribunt. Nobis Iesu nomen coram mundo circumferendum suasit non fastus; nihil enim in illo fastuosum, sed amor. Et si à Christo denominati fuissemus, non minus in hoc nomen blasphemi fuissetis, quam in Iesu nomen estis; dum à vobis audimus Suitæ, Iesauitæ, Gezitæ; & alia verborum portenta. Societatis Iesu nomen, inquis, Ioannem Apostolum prophetico spiritu nobis abiudicasse epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam Societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur*. Elegans de Prædicantibus prophetia, qui se Christum, Angelos, Prophetas, Apostolos habere collegas iactitant Christus selbs ein Euangelischer Prædicant/ der Prædicanten stand von Christo selber eingesetzt/ Propheten vñ Apostel Prædicanten gewesen/

Englische Prædicanten. fol. 591. & 592. *Christus ipse est Euangelicus Prædicans; ordo Prædicantium ab ipso Christo institutus est; Prophetæ & Apostoli fuere Prædicantes; Angelus Dei Prædicans, Angelici Prædicantes.* sed quia in tenebris ambulant, mentiuntur; nos in vniuersalis Ecclesiæ luce versamur. *Habetis Ecclesiam vbique diffundi, & crescere vsque ad messem. Habetis ciuitatem, de qua ipse, qui eam condidit, ait: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Ipsa est ergo, quæ non in aliqua parte terrarum, sed vbique notissima est.* S. Augustinus cap. 25. de vnitate Ecclesiæ.

§ 2. Aliqui Religiosi Ordines non multis abhinc annis exorti sunt, obijcis folio 88. plerique tamen antequam vllus visus erat Prædicans. Sed nec agitur antiquus, vel recens sit hic vel ille Ordo; omnes in certis Religiosæ vitæ principijs, & scitis conueniunt, tametsi in pluribus victus maxime & amictus rationem attinentibus non conueniant. Modo hi, modo alij, semper tamen Religiosam vitam excoluerunt aliqui ab ipsa Apostolorum ætate; & multum fallitur tibi in amoribus Polydorus Virgilius, ex cuius, quanti viri! testimonio tu argumentaris: Si Antonius primus monachus in Ægypto, Basilius in Græcia, Hilarion in Syria fuit; vt Polydorus Virgilius scripsit, necessario sequitur in omnibus istis regnis trecentos & plures annos nullam Monachi notitiam fuisse. Nimis ineptus es, qui Monachorum originem venaris in Virgilij vario errore consitis lucis; quo teste haud aliter triumphas, quam si ipsius Antonij, Basilij, &c. coætaneum aliquem produceres. ex vetustis Patribus hæc, non ex recentiorum fabulis indaganda sunt. Religiosi status substantia in perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ votis consistit; quibus ipsos Apostolos se obstrinxisse S. Epiphanius hæresi 58. & S. Augustinus lib. 17. de ciui. Dei, cap. 4. testantur.

tur. Apostolorum exemplo cœpisse Religiones docent Eusebius lib. 2. hist. cap. 16. S. Hieronymus de viris illustribus, in Philone; Possidonius in vita S. Augustini, Cassianus collat. 10. cap. 5. & alij. Vel Monachi, vel Christiani Monachorum ritu viuentes fuerunt Iessæi, seu Esseni, qui sub Marco Euangelista Alexandriæ vixerunt, de quibus Philo Iudæus Apostolorum synchronos. In Ægypto ante Antonium fuisse Monachos optime nouerit Magnus Athanasius Antonio Magno familiaris, cuius & vitam scripsit, in qua non procul ab initio hæc: *Necdum autem* (quando seculum reliquit Antonius) *tam crebra erant in Ægypto monasteria.* Idem de Græciæ monasterijs ante S. Basilium, dixerim. In Syria ante S. Hilarionem monachi noti & clari non fuerint; primus ibi instituti huius fundator certus & celebris sit Hilarion; nullos omnino non tam in exstructis monasterijs, quam in viculis, vel saltibus monastice vixisse quomodo probabitur?

§3. Sed esto, trecentis circiter annis à Christo nato cœperint habitari monasteria; quando sedata tyrannorum persecutione facta est maior in Ecclesia tranquillitas; attamen sanctam, & Christi Apostolorumq; doctrinæ consentaneam esse monasticam tam vetusti, tam graues pietate, tantis miraculis corusci Patres nihil dubitarunt. Nisi in calcaneis tibi cerebrum esset, aduerteres quanti viri veteris Catholicæ Ecclesiæ vestris sacrilegis dogmatibus resistant. Ex Orientis Patribus S. Athanasius Monachi vitam celebrauit; Monachi vitam ipsi excoluerunt S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Epiphanius, S. Ioannes Chrysostomus; ex Patribus Latinis celeberrimi ac Monachi S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Paulinus, S. Gregorius; Monachorum fautor S. Ambrosius; vt taceam alios si non litteris, sanctimonia tamen clarissimos S. An-

Matt. *Non ita varijs astrorum choris cælum refulget, vt Ægypti eremus innumeris Monachorum, ac Virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis.* Luculenter B. Theodoretus in historia SS. Patrum cap. 30. *Multæ aliæ (præter B. Dominam) partim quidem vitam amplexæ sunt solitariam; partim autem viuere amarunt cum pluribus: adeo vt ducentæ & quinquaginta & plures, & pauciores simul viuant; vno cibo vescentes, super solas storeas ex instituto dormientes, & manus quidem lanæ attribuentes, hymnis vero linguam consecrantes. Sunt autem eiusmodi innumerabilia sapientiæ gymnasia, non solum in nostra regione, sed etiam per totum Orientem. Ijs autem plena est & Palæstina, & Ægyptus, & Asia, & Pontus, & tota Europa. Ex quo enim Christus Dominus honorauit virginitatem, vt qui natus sit ex virginitate, prata virginitatis natura germinauit, & hos suaueolentes, & qui non marcescunt, flores offert Creatori.* His bene cohærent S. Cypriani de Virginibus verba: *Gaudet per illas, atq; in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fæcunditas: quantoq; plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto gaudium matris augescit.* Hæc tu, si potes, transfer in Lutheranam Synagogam, cuius Archisynagogus Monialem constuprauit; apud cuius sectatores monasteria depeculari, claustra effringere summa Religio est.

§7. Olim, inquis, etiam quæ ex voto virgines erant, permittebantur nubere. Sed Cyprianus, quem citas, non loquitur de eiusmodi Deo sacris virginibus: has grauius peccare, si tanquam coniuges viris copulentur, quam si fornicentur inconcessæ sibi Veneris consciæ, ex antiquis Catholicis Patribus traditur; tu in Iesuitas furiose conscis. An non simplici, vt vocamus, fornicatione grauius est adulterium? cetera ex S. Ambrosio ad virginem lapsam accipe; & Lutheri tui Catharinam concipe. *Facilius te oportuit sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem tuam.*

Nam

Nam si inter decem testes confectis sponsalijs, nuptijs consummatis, quamuis viro fœmina coniuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium; quid putes fore si inter innumerabiles testes Ecclesiæ, coram Angelis, exercitibus cœli, facta copula spiritalis per adulterium soluitur? Nescio an possit ei digna mors, an pœna cogitari. Dicit aliquis: Melius est ergo nubere, quam vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Ceterum, quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Et iam si voluerit nubere communi lege connubij, ADVLTERIVM perpetrat, ancilla mortis efficitur.

§ 8. Cuculas adultiorem quondam ætatem desideratam, quando ad Monasteria admittebantur. Hæc omnino variari possunt. Concilium Triburiense ad Religiosam professionem admisit etiam duodennem. Eleganter S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus: *Non ætas reijcitur florentior, sed animus examinatur; ac certe Theclam non senectus, sed virtus probauit: nec mirere in adolescentulis professionem, cum legeris in paruulis passionem.*

§ 9. Errarunt olim Massaliani seu Euchitæ opinati nulli Monachorum licere operari manibus, eiusmodi etiam laborem fugientes, quem ex sui Ordinis instituto exercere debebant, reprehendit S. Augustinus lib. de opere Monachorum. Tu paupertatis studium calumniaris, malles etiam Religiosos manibus, quam capite laborare; quo impunius lupis rapacibus in caulas Domini grassari liceret.

Caput III. De flagellationibus.



T virtus inter vitia; ita fides & veritas inter errores media consistit. Hæretici extrema secuti Catholicæ Ecclesiæ contrarias imponunt hæreses. Arianis Catholici sunt Sabelliani, Eutychianis

mandata eius grauia non sunt. 1. Ioan. 5. Ais hæc ad Christi præcepta pertinere; non ad decalogum, seu mandata Mosis; quæ noua & plane acatholica limitatio est. sed & te ipse iugulas; nam Christus asserit se difficiliora exigere, quam Moses; si ergo illa seruari possunt; cur non ea, quæ minus ardua sunt. Item, decalogum seruat, qui, vt debet, proximum diligit; *omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Galat. 5 sed hoc est proprium Christi mandatum, vt tu ipse hic fateris: & loquitur Dominus. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.* Ioan. 15. Ergo est facile, & consequenter etiam decalogus in hoc contentus Præterea, cum ad decalogum seruandum sub inferni pœna obstricti simus; si seruari posse neges, Deum accusas; vt obseruauit S. Chrysostomus hom. 16. in epist. ad Hebræ. *Non licet dicere: non possum; nec accusare opificem: nam si nos facit impotentes, & tamen præcipit, ipsius est accusatio.* S. Augustinus cap. 10. de fide contra Manichæos. *Quis enim non clamet stultum esse præceptum dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere, & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere? & has iniustitias & iniquitates miseri non intelligunt Deo se adscribere.* Eadem Paulinus ad Celantiam inter epist. S. Hiero. *Domino reclamamus, & dicimus nos vel difficultate, vel impossibilitate mandatorum premi: nec sufficit, quod iussa non facimus, nisi etiam iubentem iniustum pronunciemus.* Omnes peccamus, argumentaris folio 75. ergo præcepta non perfecte seruamus. Multi non seruant, quæ seruare possunt: sed nec nos de tam perfecta obseruantia vobiscum disputamus, quæ leuia quoq; & venialia peccata excludat; absq; crimine seu mortali culpa legem à quouis, Diuina opitulante gratia, quæ non deerit, impleri posse dicimus. Vt tam perfecte Deum diligamus sicut Sancti in cœlo, non præceptum; sed præcepti

cepti

cepti finis est; si non nemo Patrum præceptum appellat, loquitur eo more, quo dicimus militi præceptum esse vincere; medici officium esse sanare ægros; cum tamen miles ad fortiter pugnandum teneatur; quod medium tantum ad victoriam est: & medicus perfecte suum munus explet, si conuenientia remedia adhibeat; licet sanitas non consequatur.

§ 4. Folio 76. in supererogationis & consilij opera impetum facis. *Si præcepta, implere nequimus, multo minus possumus plus facere, quam præceptum sit: Antecedens est verum, ergo & consequens. sed nec decet nos plus facere, quam præceptum sit; quia id Deus prohibuit*; Deuteronomij 4. In pauca verba congeris non pauca falsa, & absurda. primo enim ad opus supererogationis non requiritur, vt quis præcepta omnia impleat, modo opus bonum extra præcepta exerceat. Deinde falsum est, nos non posse ita seruare præcepta, vt nullo graui delicto violentur; nec ob leue delictum quis absolute præuaricator legis denominatur. Insuper inauditum paradoxum est, non decere vt plus oremus, plus eleemosynæ demus &c. quam præceptum sit; & tamen ad hoc stabiliendum Scripturam testem vocas. *Non addetis ad* VERBVM, *quod* VOBIS LOQVOR, *nec auferetis ex eo.* Deut. 4. Moses certo loco & tempore, sermonem quendam ad Iudæos habuit, in quo nihil de Christi natiuitate, morte, resurrectione, nihil de Christi Ecclesiæ, & nouæ legis sacramentis, ac ceremonijs; sed ceremonias, aliaq; mandata in sermone illo, non per Scripturam, Synagogæ tradita integre seruari præcepit; ita vt nihil omitteretur, nihil etiam mandatis illis aduersum admitteretur à Iudæis: Ergo nihil credendum, nihil faciendum vnquam fuit ab vllo homine Iudæo, aut Christiano, nisi quod scriptum legimus. An placet vobis hæc consequentia? Vestram gnatam paren-

tes agnoscite; quam vero illa multorũ m errorum vel si maius beanismorum, fœcunda sit; satis in Colloquio, & editis de eo scriptis ostensum est; idq; superiore anno te vir amplissimus Ioannes Pistorius perbene docuit. Verũ in Colloquio contendebatis nihil credendum, vel ad cultum Dei suscipiendum esse (quod ipsum verborum Mosis, qui nec fidei nec cultus meminit, assumentum est) nisi quod scriptum legeretur; nunc longe maius paradoxũ obtruditur, nullum scilicet Deo gratum opus fieri, nisi quod in scriptura mandatum esset. Prædicauit Deus ipse per Ieremiam prophetam cap. 35. Rechabitas; quod sibi in perpetuum vino interdixerint; in qua scriptura id legerant? Diem festum ob victoriam de Holoferne obtentã instituerunt Hebræi, Iudith vltimo; dedicationis diem quotannis celebrandam sanxerunt Machabæi 1. Mach. 4. neutri ex præcepto. Respondes fol. 551. gratiarũ actionem in præcepto esse, ex qua festa illa sint instituta. Etsi gratiarum actio, oratio, eleemosyna &c. in scripturis generatim præcepta sint; ea tamen præcepta non quouis loco, & tempore obligant; nec ad quosuis actus: de his quæritur, an in particulari hoc ieiunium, hæc oratio, hæc festi celebritas, & quicquid pie quouis loco & tempore agitur, sit in præcepto; quod non nisi stolide affirmare potes, nec negare, nisi supererogationis opera admittas.

§5. Negas folio 77. consilium dedisse Christum adolescenti, cui dixit Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* præceptũ hoc esse vis. Hæcne Prædicans est Catholica interpretatio? an non quotquot interpretati sunt, consilium esse docuerunt? quod re ipsa secuti sunt tot sanctitate & doctrina eximij viri, tot monachorum millia. De veterum interpretum sententia vnum ex Græcis, alterum ex Latinis te-

stem

Item do. S. Chrysostomus hom. 21. in 1. ad Corinth. eisdem Christi verbis auditores suos ad supererogationis & consilij opera non sine desidiæ exprobratione prouocat. *In diuite alia quidem præcepit Dominus, alia vero permisit libero animi arbitrio. Non dixit enim; Vende quæ habes; sed, si vis esse perfectus, vende. Nos autem non solum non contendimus, vt laudem & honorem consequamur, neque quæ sunt præcepta exsuperamus, sed longe etiam abest, vt præceptorum mensuram impleamus.* S. Hieronymus epist. 8. cap. 7. *Si vis, inquit* Christus, *perfectus esse. Non cogo, non impero; sed propono palmam, ostendo præmia: tuum est eligere.* Verum vt Scripturæ sensum inuertis; ita mox folio 79. S. Gregorio vim infers; quasi neget opera nostra esse meritoria; & fraudulenter verba quibus ille suos incusat defectus, ad omnia fidelium opera extendis. quare omisisti verba proxime sequentia? *fraternis auribus omne quod in me latenter ipse reprehendo, incunctanter aperio*, lib. 35. in Iob cap. vlt.

§ 6. Nolui tacere eleganter Hebraizantem passim Prædicantem, vt folio 73. da der König Hiskia das Passah außgeschriben. *Cum Rex Hiskia* (Ezechias) *per epistolas Passah* (Phase) *ediceret.* Si Hebraicas voces adeo deamas; scribas, cum Chizchijahu Rex ediceret Pesach. Verum si Apostoli & Euangelistæ, cum Græce scripserunt, Hebræa vocabula Græca formatione nonnihil leuigarunt, cur vos tam Euangelici adeo Rabinorum studiosi estis? De Basilidianis hæreticis scribit S. Hieronymus epist 29. *Armagil, Barbelon, Abraxas, Balsamum, & ridiculum Leusiboram, ceteraq; magis portenta, quam nomina, ad imperitorum & mulierculârum animos concitandos, quasi de hebraicis fontibus hauriunt, barbaro simplices quosq; terrentes sono, vt quod non intelligunt, plus mirentur.* de vobis hæc scripta accipio.

ARTICVLVS QVARTVS.

De quibusdam bonis operibus in particulari; ieiunio scilicet, vita monastica, voluntaria flagellatione.

Caput I. De ieiunio.



IN particulari delirare incipis; ad quid enim hæc oggeris? *pisces in Scriptura vocantur carnes; ieiunare in veteri ac noua testamento semper significat abstinentiam ab omni cibo*: vnde colligis nos non ieiunare, quia comedimus. Qua ieiunamus, formaliter loquendo (si hos terminos capis) non comedimus; eodem tamen anno, mense, die, quo ieiunium peragitur, cibis permissis vesci licet. Laudat S. Hieronymus epist. 25. cap. 5. Paulam orationi, ieiunijs, lectioni vacantem quotidie; te interprete, nunquam illa comederit. In Scriptura, inquis, ieiunium semper significat abstinentiam ab omni cibo. De viris Iabes Galaad legimus 1. Paralipo. 10 eos septem diebus ieiunasse; hos nihil omnino comedisse asserere ausis? amplius audebis; Iuditham scilicet pluribus annis extra dies festos cibum non gustasse, de qua legimus Iudith 8. *ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.*

§ 2. Apostolus de se ipse scribit 2. Corinth. 11. *in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs* MVLTIS. Prædicantis sententia est folio 80. Paulum ieiunasse ex necessitate, quando deerat, quod comederet; quod Prædicanticum ieiunium est. nec aduertit delirus S. Paulum ieiunia discernere à fame & siti. num victus inopiam suasit idem Apostolus:

lus cum scribit ead. epist. cap. 6. *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, &c.*

§ 3. Ieiunij leges à Montano originem ducere mentiris, folio 82. *Quadragesimale ieiunium ne spernatis,* scribit ad Philippenses S. Ignatius discipulus Apostolorum; à quibus id esse institutum vnanimiter sentiunt veteres, & vere Catholici Patres; ab his tu fidelius, quam à tuis Magdeburgensibus didicisses Montani qui errores fuerint. Quæ contra eum ad Marcellam epist. 54. tradiderit S. Hieronymus audiamus: *Nos vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus: illi* (Montanistæ) *tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores: non quod & per totum annum, excepta Pentecoste, ieiunare non liceat: sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.*

§ 4. Transis ad alterum mendacium eodem folio, quod repetis fol. 107. S. Chrysostomum contra Quadragesimale ieiunium scripsisse homil. 47. in Matth. & homil. 11. in Genesin. Aduertite quæso vulpem hanc. S. Doctor dicta hom. in Matth. tradit potiori loco habendas caritatem, misericordiam, & similes virtutes; quam ieiunium, cilicium, & alias corporis afflictiones; illas expresse Christū docuisse, non autem has. Verba citat impostor, subticens sequentia: *Hæc dixi, non quia ieiunium mihi non placeat, quod magnis soleo efferre laudibus: sed quia doleo, si ceteris neglectis satis ad salutem vobis ieiunium existimetis.* Ex hom. 11. in Genesin profers hæc: *Nec erat institutus delectus ciborum, quod Apostolus dixisset: Mundis omnia esse munda.* Nihil horum ibi Chrysostomus, sed hæc habet: *sicut in mari littora sunt & portus, vt in eos è iactatione se recipiant nauigantes, & exspectent donec ventorum impetus conquiescant, & sic iterum nauigare incipiant: ita & nunc hi, qui in hac Quadragesima ieiunij cursum suscepere*

 &c. Et

&c. Et paulo post: *Hæc nunc dico, non vt caritatem vestram contristem, sed vt excitem & instruam, non simpliciter ieiunijs corpus castigare, neque temere & in vanum dies Quadragesimæ* SANCTÆ *transmittere*.

§ 5. Præter S. Chrysostomum citatur S. Augustinus, qui ad Casulanum scribit: non inueniri definitum, in sacris puta litteris, à Christo vel Apostolis ieiunij tempus; quod nihil aduersum nos est. Et tamen folio 84. vanissime gloriaris te palpabiliter (handgreifflich) ex doctrina Christi, Apostolorum, & veterum Doctorum demonstrasse Quadragesimæ ieiunium minime ex Apostolica traditione natum esse. Scripturæ nihil omnino nos, sed Encratitas, Manichæos & similes feriunt. quare tam de his, quam de Patribus palpabiliter mentiris. Quo vero apud Catholicos Patres loco Acatholici Prædicantes sint, ex S. Augustino intelliges; qui hæresi 53. inter cetera hæresiarchæ Aërij dogmata hoc numerat; *nec* STATVTA *solemniter celebranda esse ieiunia, sed cum quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege*. Hæc ipsissima Euangelica vestra libertas est.

§ 6. Eodem folio tanquam insolubilem ponis hanc quæstionem: si Apostolica traditio est carnibus in Quadragesima abstinere, cur Papa & sacerdotes accepta pecunia dispensant? Cur tu sine pecunia, tuomet genio toties mentiris & calumniaris? Superiorum esse dispensare in legibus, nemo ignorat; hoc si tu in statutis Apostolicis illicitum esse opinaris, is è mille erroribus tuis vnus erit. Cuiusq; etiam loci circa quædam ieiunia probatas consuetudines esse obseruandas, S. Augustinus epistola 118. docet; tu folio 85. inde scite colligis esse comedendum, quidquid apponitur. Quare non legisti quæ de ieiunijs, alijsque Ecclesiasticis moribus eadem epistola traduntur? *Si quid horum*

horum tota per orbem, vt Quadragesimam, *frequentat Ecclesia: quin ita faciendum sit disputare insolentissima insania est.*

Caput II. De vita Monastica, & Religiosis.

Αἵ τε κύνες, οἷαίπερ δέσποιναι, ait Plato lib. 8. de Rep. Catulæ tales, quales dominæ. Quid de Monastica, & statu Religioso exspectare poteramus à transfugæ & toties periuri ac sacrilegi Monachi catulis, quam mendacia, calumnias, rabiosos latratus? Sed criminantium furore & æstu non abripiar. Oderunt vel ipsum Societatis Iesu nomen; tu id superbiæ adscribis, quasi non contenti communi Christiani nomine ceteris eminere cupiamus. Christiani sumus, sed in Christianorum multitudine sunt distinctæ functiones, status, & partes; sicut in quouis corpore, quauis Rep. tu manum in ius voca, quod non membrum tantum, verum etiam manus vocetur. Reprehende Apostolos qui se Christi Iesu seruos scribunt. Nobis Iesu nomen coram mundo circumferendum suasit non fastus; nihil enim in illo fastuosum, sed amor. Et si à Christo denominati fuissemus, non minus in hoc nomen blasphemi fuissetis, quam in Iesu nomen estis; dum à vobis audimus Suitæ, Iesauitæ, Giezitæ; & alia verborum portenta. Societatis Iesu nomen, inquis, Ioannem Apostolum prophetico spiritu nobis abiudicasse epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam Societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur.* Elegans de Prædicantibus prophetia, qui se Christum, Angelos, Prophetas, Apostolos habere collegas iactitant. Christus selbs ein Euangelischer Prædicant/ der Prædicantē stand von Christo selber eingesetzt/ Propheten vñ Apostel Prædicantē gewesen/

Englische Prædicanten. fol. 591. & 592. *Christus ipse est Euangelicus Prædicans; ordo Prædicantium ab ipso Christo institutus est; Propheta & Apostoli fuere Prædicantes; Angelus Dei Prædicans, Angelici Prædicantes.* sed quia in tenebris ambulant, mentiuntur; nos in vniuersalis Ecclesiæ luce versamur. *Habetis Ecclesiam vbique diffundi, & crescere vsque ad messem. Habetis ciuitatem, de qua ipse, qui eam condidit, ait: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Ipsa est ergo, quæ non in aliqua parte terrarum, sed vbique notissima est.* S. Augustinus cap. 25. de vnitate Ecclesiæ.

§ 2. Aliqui Religiosi Ordines non multis abhinc annis exorti sunt, obijcis folio 88. plerique tamen antequam vllus visus erat Prædicans. Sed nec agitur antiquus; vel recens sit hic vel ille Ordo; omnes in certis Religiosæ vitæ principijs, & scitis conueniunt, tametsi in pluribus victus maxime & amictus rationem attinentibus non conueniant. Modo hi, modo alij, semper tamen Religiosam vitam excoluerunt aliqui ab ipsa Apostolorum ætate; & multum fallitur tibi in amoribus Polydorus Virgilius, ex cuius, quanti viri! testimonio tu argumentaris: Si Antonius primus monachus in Ægypto, Basilius in Græcia, Hilarion in Syria fuit; vt Polydorus Virgilius scripsit, necessario sequitur in omnibus istis regnis trecentos & plures annos nullam Monachi notitiam fuisse. Nimis ineptus es, qui Monachorum originem venaris in Virgilij vario errore consitis lucis; quo teste haud aliter triumphas, quam si ipsius Antonij, Basilij, &c. coætaneum aliquem produceres. ex vetustis Patribus hæc, non ex recentiorum fabulis indaganda sunt. Religiosi status substantia in perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ votis consistit; quibus ipsos Apostolos se obstrinxisse S. Epiphanius hæresi 58. & S. Augustinus lib. 17. de ciui. Dei, cap. 4. testantur.

tur. Apostolorum exemplo cœpisse Religiones docent Eusebius lib. 2. hist. cap. 16. S. Hieronymus de viris illustribus, in Philone; Possidonius in vita S. Augustini, Cassianus collat. 10. cap. 5. & alij. Vel Monachi, vel Christiani Monachorum ritu viuentes fuerunt Iessæi, seu Esseni, qui sub Marco Euangelista Alexandriæ vixerunt, de quibus Philo Iudæus Apostolorum synchronos. In Ægypto ante Antonium fuisse Monachos optime nouerit Magnus Athanasius Antonio Magno familiaris, cuius & vitam scripsit, in qua non procul ab initio hæc: *Necdum autem* (quando seculum reliquit Antonius) *tam crebra erant in Ægypto monasteria.* Idem de Græciæ monasterijs ante S. Basilium, dixerim. In Syria ante S. Hilarionem monachi noti & clari non fuerint; primus ibi instituti huius fundator certus & celebris sit Hilarion; nullos omnino non tam in exstructis monasterijs, quam in viculis, vel saltibus monastice vixisse quomodo probabitur?

§3. Sed esto, trecentis circiter annis à Christo nato cœperint habitari monasteria; quando sedata tyrannorum persecutione facta est maior in Ecclesia tranquillitas; attamen sanctam, & Christi Apostolorumq; doctrinæ consentaneam esse monasticam tam vetusti, tam graues pietate, tantis miraculis corusci Patres nihil dubitarunt. Nisi in calcaneis tibi cerebrum esset, aduerteres quanti viri veteris Catholicæ Ecclesiæ vestris sacrilegis dogmatibus resistant. Ex Orientis Patribus S. Athanasius Monachi vitam celebrauit; Monachi vitam ipsi excoluerunt S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Epiphanius, S. Ioannes Chrysostomus; ex Patribus Latinis celeberrimi ac Monachi S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Paulinus, S. Gregorius; Monachorum fautor S. Ambrosius; vt taceam alios si non litteris, sanctimonia tamen clarissimos S. Antonium,

tonium, S. Hilarionem, S. Martinum, S. Benedictum, & ceteros, qui Monachi vixerunt. Vnius Antonij illiterati auctoritas omnibus vestris pseudotheologis prudentissime antefertur. Illum inter tantas positum solitudines, vt S. Athanasius loquitur, sincerissima Religio Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyrico commendauit. Quisquis Orthodoxus est, *consideret*, monet S. Chrysostomus homil. 8. in Matth. *virum per cunctorum vsque hodie ora volitantem, quem Apostolis proximum Ægyptius protulit, beatum dico & magnum illum, de quo sæpe audisti, Antonium. Quod certe vel præcipuum* CATHOLICÆ *fidei documentum est*, NVLLVM *videlicet Hæreticorum talem posse monstrari.* Εἰς κόρακας Lutherus, Pomeranus, Rabus, & reliqui spurcissimi Apostatæ.

§ 4. In Italia tenes primum Monachorum fuisse Benedictum, vbi tunc fuit primus Prædicans? In Italia soll Benedictus das erste Klosterleben angefangen haben / quoties ita loqueris, te mentiri suspicor, & plerunque nec fallor; vno seculo Benedictum antegressi sunt S. Hieronymus & S. Augustinus; Romæ Monacha vixit B. Marcella, teste S. Hieronymo epist. 16. in qua cap. 4. de Roma scribit: *Crebra virginum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo.* & epist. 26. cap. 2. *Nostris temporibus Roma possidet, quod mundus antea nesciuit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles, Christiani: nunc* MVLTI *Monachi, sapientes, potentes, nobiles.* epist. 30. cap. 3. de B. Fabiola narrat: *peragrabat ergo insulas, & totum Etruscum mare, Volscorumque prouinciam, & reconditos curuorum littorum sinus, in quibus Monachorum consistunt chori.* Si de Dalmatis Monachis quid scire lubet, audi eundem epist. 3. cap. 3. ad Iulianum: *Extruis monasteria, & multas à te per insulas Dalmatia Sanctorum numerus sustentatur, sed melius faceres, si &*

ipsa

ipse sanctus inter sanctos viueres. Nunc Augustinus prodeat, lib. 8. Confess. cap. 6. *Erat Monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore.* S. Martinum, antequam Ambrosius esset Episcopus, Mediolani, & postea in Gallijs exstruxisse Monasteria refert in vita eius cap. 4. & 7. B. Seuerus Sulpitius. An tibi Roma in Ægypto; Mediolanum Græciæ vrbs est? latere hæc non debebant in Catholicis Patribus tam versatum didascalum.

§ 5. Monasteria olim ais fuisse tantum scholas, in quibus adolescentes bonis artibus instruerentur, qui postea Ecclesiasticis, alijsq; muneribus fungerentur. Os hominis! Antonius scilicet, monachorum suorum greges forte Grammaticam docebat? Ab Hilarione ad Episcopatus regendos exercebantur? Huiusmodi munia summo studio fugiebant, & non nisi inuiti suscipiebant veri monachi; eorum proprium erat orare, sacra legere, corpus cilicijs, vigilijs, inedia, flagris domare; quæ Prædicantes nec audire volunt gymnasia. *Credite mihi experto* hortatur suos Magnus Antonius, *pertimescit Satanas recte viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem.* Hæc vobis ἐθελοθρησκείαι, & abominandæ superstitiones sunt. Scio postea, atque etiamnum à Religiosis viris apertas esse scholas, in quibus publice iuuentus bonis disciplinis imbueretur; quæ sancta aliquorum occupatio, nec communis omnium; nec propria Religionis, seu præcipua functio est.

§ 6. De sanctimonialibus quid senties; forte educabantur, vt Ministri Euangelici scorta haberent; tu Nonnas vocas; non repudio nomen, quod vetustum esse ex S. Hieronymo epist. 22. cap. 5. intelligo; qui eorum magnum testatur fuisse numerum. S. Chrysostomus homil. 8. in

Matt. *Non ita varijs astrorum choris cœlum refulget, vt Ægypti eremus innumeris Monachorum, ac Virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis.* Luculenter B. Theodoretus in historia SS. Patrum cap. 30. *Multa aliæ* (præter B. Dominam) *partim quidem vitam amplexa sunt solitariam; partim autem viuere amarunt cum pluribus: adeo vt ducentæ & quinquaginta & plures; & pauciores simul viuant; vno cibo vescentes, super solia storeas ex instituto dormientes; & manus quidem lanæ attribuentes, hymnis vero linguam consecrantes. Sunt autem eiusmodi innumerabilia sapientiæ gymnasia, non solum in nostra regione, sed etiam per totum Orientem. Ijs autem plena est & Palæstina, & Ægyptus, & Asia, & Pontus, & tota Europa. Ex quo enim Christus Dominus honorauit virginitatem, vt qui natus sit ex virginitate, prata virginitatis natura germinauit; & hos suauèolentes, & qui non marcescunt, flores offert Creatori.* His bene cohærent S. Cypriani de Virginibus verba: *Gaudet per illas, atq. in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantoq. plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto gaudium matris augescit.* Hæc tu, si potes, transfer in Lutheranam Synagogam; cuius Archisynagogus Monialem constuprauit; apud cuius sectatores monasteria depeculari, claustra effringere summa Religio est.

§ 7. Olim, inquis, etiam quæ ex voto virgines erant, permittebantur nubere. Sed Cyprianus, quem citas, non loquitur de eiusmodi Deo sacris virginibus: has grauius peccare, si tanquam coniuges viris copulentur; quam si fornicentur inconcessæ sibi Veneris consciæ, ex antiquis Catholicis Patribus traditur: tu in Iesuitas furiose conijscis. An non simplici, vt vocamus, fornicatione grauius est adulterium? cetera ex S. Ambrosio ad virginem lapsam accipe; & Lutheri tui Catharinam concipe. *Facilius te oportuit sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem tuam.*

Nam

Nam si inter decem testes confectis sponsalijs, nuptijs consummatis, quamuis viro fœmina coniuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium; quid putes fore si inter innumerabiles testes Ecclesiæ, coram Angelis, exercitibus cæli, facta copula spiritalis per adulterium soluitur? Nescio an possit ei digna mors, an pœna cogitari. Dicit aliquis: Melius est ergo nubere, quam vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Ceterum, quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Et iam si voluerit nubere communi lege connubij, ADVLTERIVM perpetrat, ancilla mortis efficitur.

§8. Cuculas adultiorem quondam ætatem desideratam, quando ad Monasteria admittebantur. Hæc omnino variari possunt. Concilium Triburiense ad Religiosam professionem admisit etiam duodennem. Eleganter S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus: *Non ætas reijcitur florentior, sed animus examinatur; ac certe Theclam non senectus, sed virtus probauit: nec mirere in adolescentulis professionem, cum legeris in paruulis passionem.*

§9. Errarunt olim Massaliani seu Euchitæ opinati nulli Monachorum licere operari manibus, eiusmodi etiam laborem fugientes, quem ex sui Ordinis instituto exercere debebant, reprehendit S. Augustinus lib. de opere Monachorum. Tu paupertatis studium calumniaris, malles etiam Religiosos manibus, quam capite laborare; quo impunius lupis rapacibus in caulas Domini grassari liceret.

Caput III. De flagellationibus.



VT virtus inter vitia; ita fides & veritas inter errores media consistit. Hæretici extrema secuti Catholicæ Ecclesiæ contrarias imponunt hæreses. Arianis Catholici sunt Sabelliani, Eutychianis

sunt Nestoriani, Montanistis sunt animales & psychici; Lutheranis sumus Montanistæ, folio 82. sectæ Flagellantium, folio 89. Nouatiani, folio 96. Donatistæ, folio 100, tantum ab his absumus, quantum à falso abest veritas; quod cuiuis perspicuum fuerit, qui non lippis oculis illorum hæreticorum dogmata, & Catholicam doctrinam considerarit. Vos Iouiniani, Vigilantij, Aërij, aliorumq; placita probatis, quod adeo certum est, vt aperte nonnunquam ipsimet harum pestium patrocinium suscipiatis. Tua sunt verba folio 611. *Si Iouinianus non habuisset maiorem errorem, quam quod Monialium, & Monachorum castitatem quoad meritum æquasset coniugio; seuerius cum eo actum esset, si ideo inter hereticos numeraretur.* An non apertus Iouinianista es? Vigilantij cum laude meministi, folio 262.

§ 2. Ab Euchitarum tamen ac Flagellantium errore vos libero; quamuis tu vel ob hunc tuum librum flagrio non vnis cædi flagris merearis. Times folio 90. ne si te flagelles, in Christi flagella impius sis: excute timorem; nam post Christum flagellis propter nos castigatum Apostolus corpus suum castigare non destitit, *ne forte*, inquit, *cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. 1. Corinth. 9. Sed Prædicantes iam certi sunt de sua salute; cum Iouiniano suo cauent solicite ne carnem suam videantur odisse. *Cito caro marcescit, nolite timere fornicationem. Qui semel in Christo baptizatus est, cadere non potest; habet enim ad despumandas libidines solatia nuptiarum*: Hæ Iouiniani voces sunt apud S. Hieronymum lib. 2. aduersus eum cap. 19. Sed enim optionem tibi do; si adeo flagellationes odisti; cilicio vtere imitatus B. Dauid, qui de se scribit; *induebar cilicio*, psal 34. *posui vestimentum meum cilicium*, psal. 68. vereor, vt neutrum tibi arrideat.* Nam & ieiunia, & quasuis corporis afflictiones abominamini, assueti hilarioribus dijs deabusq; *ad in-*

testinorum aras, vt S. Augustinus loquitur lib. *6.* contra Faustum cap. *6.* quotidie litare; *Volupia* scilicet, *Stimulæ*, *Rumina*, *Edulica*, *Potina*, *Mellona*. S. Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei cap. 11. & 34. Quare nunquam te ad seueriorem vitæ disciplinam induxero; nec actum agam; præsertim cum super hoc argumento plura R. P. Iacobus Gretserus eleganter conscripserit.

ARTICVLVS QVINTVS.

De Christiana, veteri Catholica certitudine gratiæ, & remissionis peccatorum.

PRædicantes vt disputant, ita scribunt; sine ordine, & methodo; iam de hac re egeras; nunc regeris: Promittis in titulo vetus Catholicum dogma; & repetis putida Lutheri Caluiniq; paradoxa: pro thesauro carbones. Agitur an quiuis in hac vita iustus sit infallibiliter certus; 1. se esse iustum; 2. nunquam fore, vt iustitia excidat; 3. se esse ad vitam æternam prædestinatum; omnia tria mirifica cæcitate asserunt Sectarij. Diuina fide, adeoq; tam vere, quam Deus est, credere debet omnis fidelis se in Dei gratia ad mortem vsque perseueraturum; ac tandem beatum fore; & nihilominus fieri potest, & fit, vt is gratia excidat, & damnetur. Quis tam plumbeus fuerit, vt hæc asystata & secum pugnantia esse non palpet? Verum de hoc iam egi ad calcem 1. articuli. Tu quidem qua potes arte horum errorum turpitudinem tegis; & nec tam rotunde profiteri, nec negare audes.

§ 2. Et hæc insania est Christiana, vetus Catholica! Vt articuli titulum legi, credidi te veterum Patrum quacunq;

fide accumulaturum testimonia. Legi, relegi; nec inueni nisi tres produci S. Ambrosium, S. Augustinum, S. Hilarium; his addis S. Bernardum, quem tamen scribis in Papatu profunde immersum fuisse. Audiamus singulos. Ambrosius, inquis lib. 1. & 2. de pœnitentia scripsit contra Nouatianos, vbi ex promissione Christi, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, & ex Diuinis promissis pœnitenti peccatori factis docet, eos de remissis peccatis certos reddendos esse. Nouatiani sacramentum pœnitentiæ denegabant lapsis post baptismum, seu quibusuis; seu eis, qui grauius deliquerant; neque enim, vt mos est hæreticis, sibi ipsi consentiebant. His succenturiantur noui Cathari, & puri Euangelici, qui negant virtute sacerdotalis absolutionis peccata remitti, & pœnitentiam è sacramentorum numero eximunt; cuius institutionem habemus Ioan. 20. Quorum remiseritis, &c. ex qua Ecclesiæ commissa potestate certus reddor de remissis peccatis, *si pœnitentiam, vt oportet, ago*; S. Ambrosius ser. 5 in psal. 118. ver. 7. adeoq; à me ad huius sacramenti participationem requisita præstitero, quæ præstita esse nulla asserit Scriptura, nullus Patrum docet, nec seclusa speciali reuelatione infallibiliter sciri potest. Falso ergo Ambrosium nobis opponis, qui te, & tuos in Nouatianis condemnat. *Aiunt se Domino deferre reuerentiam; cui soli remittendorum criminum potestatem reseruent; imo nulli maiorem iniuriam faciunt*, &c. lib. 1. de pœnitentia, cap. 2. *Quid interest vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vendicent? vnum in vtroque ministerium est. Sed dices: quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo, vbi vultis, vobis vendicatis Dei gratiam, vbi vultis repudiatis?* Hæc eodem lib. cap. 7. noster Ambrosius: qui vestram stultam plerophoriam oppugnat quoq; ex illo

ex illo psal. 118. *Aufer opprobrium meum quod suspicatus sum; pœnitentia licet abolitum, suspectus tamen erat; ne forte adhuc maneret eius opprobrium; & ideo Deum precatur, vt illud auferat, qui solus nouit, quod nescire potest etiam ipse qui fecit.*

§3. S. Augustinus in psal. 88. Dei firmam esse promissionem, eamq; sine trepidatione prædicandam asserit; quis Christianus ex parte Dei promittentis hæsitet? an suas quisque partes expleuerit certum non est. *Ad me ipsum* inquit B. Dauid psal. 41. non ob Dei promissa, *anima mea turbata est.* in quæ verba S. Augustinus: *noui quia iustitia Dei mei manet, vtrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus dicens: Qui se putat stare, videat ne cadat.* Et cap. 13. de correp. & gratia: *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? omnes etiam, qui bene currunt, timeant, dum occultum est, quo perueniant.* Quod vero in psal. 85. ait fidelem Deo ingratum esse, si se neget sanctum; contra vestrum paradoxum est; nam qui spe bona fruitur se per fidem viuam Christi corpori insertum esse, beneficium deuote recognoscet, tametsi infallibiliter non constet, quantum acceperit. De hoc certissimus est, se sanctum esse, si viuum Christi membrum sit; secundũ vos autem in Christi membris diabolus, seu mortale peccatum *altissimis radicibus*, vt in cap. 6. ad Rom. Hunnius loquitur, *infixum est.*

§4. S. Hilarius canone 5. in Matthæum certam de regno cœlorum spem à nobis exigit. certissima est ex parte Dei; de quo S. Pater loquitur. *Regnum cœlorum, quod Dominus noster in se positum esse est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari.* Quantum in Saluatore nostro situm est, nihil vacillare debet fiducia; quia tamen ille à nobis exigit sedulum & *non negligens seruitium, vult in omni seruitutis officio admisceri timorem,* vt in psal. 2. Hilarius noster differit.

 §5. S.

§ 5. S. Bernardus certus est, quia Deus nimia charitate nos adoptauit; quia verax est in promissione; & potens in exhibitione; hic est funiculus triplex, quem *firmiter obsecro teneamus.* quæ postrema verba maiusculis signas. Signa & hæc eiusdem S. Bernardi ser. 2. in Octaua Paschæ: *Nouit Dominus, qui sunt eius, & solus ipse scit, quos elegerit à principio. Quis vero scit hominum, si est dignus amore, vel odio? Quod si, vt* CERTVM *est*, CERTITVDO *nobis* OMNINO NEGATVR, *numquid non tanto delectabiliora erunt, si qua forte electionis huius signa possumus inuenire?* Aduertis, qua fide, an dolo Catholicorum Patrum sententias alleges: qui nostram doctrinam aperte tenent; & ex Scripturis egregie confirmant.

§ 6. De qua tu inueteratorie rogas; an de remissione peccatorum dubitandum sit: non exigimus vt quis actu dubitet; sed infallibilem certitudinem excludimus, qua fiat, vt iustus nec possit dubitare; vtrum iustus, vel prædestinatus sit. Est quis iustus; *iam se perfecte conuertit; sed adhuc se perfecte in securitatem non erigit; quia dum quanta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem formidinemq; solicite trepidat: quam praua commiserit meminit, sed an commissa digne defleuerit, nescit.* S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. vlt.

§ 7. Orthodoxe à nostris traditur, Diuina fide nobis non constare, an sacramentum rite sit administratum, quandoquidem intentio saltem ministri nos latet. tu vis vere baptizatum esse infantem, quem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti lauat ancillula, de sacramento conferendo nihil omnino cogitans; & nisi quis tecum sentiat, in Donatistis sit oportet. quid ita? illi enim negabãt valere baptisma à malo ministro collatum. nihil nos de moribus ministri; sed de baptizandi voluntate, quam & mali, & boni habere possunt. Verum Prædicans *numquam erube-*

erubescit; nec considerat quid, sed quantum dicat, vt de Iouiniani studioso scribit noster Hieronymus epist. 51.

ARTICVLVS SEXTVS.

De Pœnitentia.

P*Acis ergo*, inquis, *admittemus non omnino perperam Pœnitentiam sacramentum dici; quandoquidem ex Diuinis, & in Scriptura pluries reuelatis mysterijs est.* Quæ pax? pœnitentiam amplo quodam significatu sacramentum vocas; & id salua Scriptura negari non posse agnoscis; & tamen pacis causa veritati cedis; alioqui scilicet nihil pensi duceres mentiri, & mysterio diuinitus patefacto nomen mysterij seu sacramenti abrogare; nisi pacis tam amans fores.

§2. Pœnitentiam vere ac proprie nouæ legis sacramentum esse pernegas; quia non est visibile gratiæ signum. Est sensibile; nec amplius desiderauit S. Augustinus, cum sacramenta tradidit esse inuisibilis gratiæ visibilia signa, sicut enim gratiam vocauit inuisibilem, id est, nec visu, nec auditu, nec vllo sensu perceptibilem; ita visibile dixit, quod seu oculis, seu auribus, seu alio sensu cognoscitur. Et vbinam in tota Scriptura, extra quam nihil vos credere profitemini, quo libro, qua parte legitis sacramentum debere sub oculos nostros cadere? Vt in baptismo SS. Trinitatis inuocatio, & ablutio; ita in pœnitentia tam delicti confessio, quam sacerdotalis absolutio symbola sensibilia sunt; vt de baptismo, ita de pœnitentia certam habemus gratiæ conferendæ promissionem; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioan 20. cur ergo non vtrumq; proprie sacramentum esse credamus? Crede saltem Apologiæ Augustanæ, quam eodem anno, quo Confessionem

Augustanam, Carolo V. tanquam fidei expositionem tradidistis, in cuius cap. 13. profitemini: *VERE igitur sunt sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est sacramentum pænitentiæ: nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ.* Hæc vestra Anno 1530. doctrina fuit; approbata postea in conuentu Schmalkaldico, Anno 1537. *in quo Principum Protestantium iussu conuenerunt præcipui totius Germaniæ Theologi, qui Augustanam Confessionem profitebantur*, vt tuus Lucas Osiander in historia Ecclesiastica scribit. Lutherus ipse vno anno ante mortem suam, contra 32. Lonaniensium articulos negat Confirmationem, Ordinem, Extremam Vnctionem, Matrimonium esse sacramenta; *Pænitentiam vero*, ait, *cum virtute clauium absoluentium Sacramentum libenter confitemur. Habet enim promissionem, & fidem remissionis peccatorum propter Christum.* to. 2. Witeber. Anno 1546. folio 545. Post aliquot annos forte etiam cœna vobis mysterium esse desinet, & in prophanum prandium demutabitur.

§ 3. Baptismi virtute etiam post baptismum commissa peccata dimitti vultis. sed vnde hoc dogma procuditis? quia ad Rom. 11. legitur: *sine pænitentia enim sunt dona, & vocatio Dei.* id est, quæ Deus semel homini prædestinauit, ea certissime conferet; nec fidem, & similia dona, quæ ideo dantur, vt permaneant, & fructum afferant, ipse per se & quasi dati cum pœniteret, sine hominis demerito, aufert. S. Chrysostomus, B. Theodoretus hoc loco, S. Augustinus epist. 59. Tu quid infers? hominem acceptam in baptismo gratiam nunquam amittere? id falsum esse nobiscum tenes. an vis baptismum, qui præterijt, manere semper, aut identidem redire; seu reiterari? & hoc mirificum delirium est. Gratia, inquies, in baptismo collata pœnitenti redditur. sed per pœnitentiam, non per baptismum. si membrũ

emor-

emortuum vires recipiat; non amplius natiuitate, sed medica curatione fit: renascimur semel spiritualiter, non bis, aut sæpius. quare baptismus dicitur regeneratio, Tit. 3. & facere nouam creaturam, quia homo percipit vitam gratiæ, quam nunquam ante habuit; quod de pœnitentia baptismum consequuta non legitur; quæ vulneribus medetur, aut à morte resuscitare dicitur. *Eos enim qui iam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam, non renouari, quia renouatio in baptismo est.* S. Augustinus in exposit. inchoata epist. ad Rom. versus finem. Idem epist. 23. *Semel perceptam paruulus Christi gratiam non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus euaserit. Tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.* Quare & Apostolus ad Hebræos 6. scribit; *impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, renouari ad pœnitentiam.* Vbi negat per baptismum, & quæ eum præcessit, pœnitentiam illuminatos, ac renouatos rursus renouari posse, vt S. Chrysostomus alijq; exponunt; quia hic proprius baptismi effectus est. At secundum vestram phantasiam quoties peccator iustificatur, toties non quidem aqua, sed spiritualiter renascitur; & rebaptizatur; contra Scripturæ, & Catholicorum Patrum phrasin ac sententiam, in quibus pœnitentia à baptismo tam aperte distinguitur; & per vtrumq; remitti peccata prædicatur. *Quid interest, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius* (remittendi peccata) *sibi datum sacerdotes vendicent?* S. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 7.

§ 4. Pœnitentiæ tres partes Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem constitui improbas; quia omittitur fides. Infantissime Prædicans, an agitur de pœnitentia hominis infidelis? an non fides in qualibet parte prærequiritur, & præsupponitur? Stomachum tibi moueat

decalogus, quia fidei non fit mentio. In duobus caritatis præceptis ait Christus *vniuersa lex pendet & prophetæ.* Matt. 22. Tu fidem omissam quiritare.

§5. Negas folio 105. Confessionis; qualis apud nos fit, meminisse Scripturam, ac veteres Patres: solemne tuum seruas; id est mentiris. De Christianorum primitijs legimus: *multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.* Act. 19. *Confitemini alterutrum peccata vestra*; ait S. Iacobus, cap. 5. & hoc ipso peccatorum confessio exigitur, quia illorum remittendi, & retinendi potestas traditur, Matth 18 Ioan. 20. 2. Corinth. 5. Veterum Patrum idem testantium loca à Bellarmino, & alijs prolata cur non legisti, aut lecta dissimulasti? Ad Demophilum scribit S. Dionysius Pauli Apostoli discipulus. *Tu vero vt litteræ tuæ declarant, eum etiam qui se ad Sacerdotem submisisset, & abiecisset ad eius genua, impium, vt ais, & peccatorem, haud scio, quomodo contra te præsens, calce detrusisti. Deinde ille quidem rogabat, seq́; medicinæ peccatorum causa venisse fatebatur.* Origenes homil. 2. in Leuiticum, de pœnitente ait: *Non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam.* Latinorum scriptorum antiquissimus Tertullianus, cap. 10. de pœnit. *Plerosq; tamen hoc opus* (exomologesin seu confessionem) *vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores, quam salutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentiū vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* S. Cyprianus martyr de lapsis: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui delinquit in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.* Vixerunt isti ante annos 1300. 1400. 1500. an antiquiores desideras? Obijcis Nectarium, qui publicam non priuatam Confessionem inhibuit. S. Chryso-

Chrysostomus Nectarij successor eum monet, vt Deo fiat confessio, non homini qui exprobret, hom. 2. in psal. 50. aperte significat se non exigere publicam confessionem; secretam enim reuelare sacrilegum foret; eaq; non homini, sed Deo principaliter fit. Vnde B. Anastasius Sinaites Patriarcha Antiochenus orat. de S. Synaxi: *ἐξομολόγησαι τῷ θεῷ διὰ τῶν ἱερέων τὰς ἁμαρτίας σου. Confitere Deo per sacerdotes peccata tua.* Haneq; Confessionem necessariam esse aperte ostendit S. Chrysostomus dial. 3. de sacerdotio: *Corporis lepram purgare, seu vt verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare Iudæorum Sacerdotibus solis licebat, neq; nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio ac concertatione sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur: At vero nostris sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* S. Augustinum lib. 10. Confess. cap. 3. non loqui de confessione, quæ per hominem Deo fit, intelligitur vel ex his verbis: *vnde sciunt cum à meipso de meipso audiunt, an verum dicam?* de sacramentali confessione scribit in psal. 66. *Agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies.*

§ 6. Satisfactionem aliam præter eam, quam Christus consummauit, non agnoscis, folio 108. quicquid Scriptura; quicquid vnanimis Catholicorum Patrum chorus tradat. Sed probas ex Marco cap. 1. *pœnitemini, & credite Euangelio*; thůt Büß/ vt tu ipse reddis; ergo, nichts gůte. Posses quoq; probare ex Lucæ 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ*: id est, nihil facite, quandoquidem Christus fecit omnia. Ex omnibus Patribus tres affers sententiolas, primam S. Gregorij: *Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in Aduocati nostri allegatione confidamus.* homil. 7. in Ezech. Quis negat in Christo potius confidendum esse; quam in nostris operibus; quæ tamen necessaria quoque esse apertissime do-

cet S. Gregorius lib. 6. in c. 15. l. 1. Reg. *Quid prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? Tria quippe in vnoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente: videlicet conuersio mentis, confessio oris, & vindicta peccati.* Secundo citas S. Chrysostomum, quanta fraude detexi art. 4. cap. 1. Tertio, S. Ambrosium; lib. 10. in Lucam cap. 96. *Lacrimas eius* (Petri) lego; *satisfactionem non lego.* Quam bene tibi consentis; iam probas lacrimas; contra quas ante Gregorium produxeras: nam & lacrymæ satisfactionis opus sunt; nec hanc se legisse abnuit S. Ambrosius, sed satisfactionem verbalem, seu excusatoriam; vt ex antecedentibus & consequentibus conspicitur. *Non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit: lacrimas eius lego, satisfactionem non lego; sed quod defendi non potest, ablui potest. Lauent lacrimæ delictum*, &c. Christi verba Lucæ 11. *date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis*, interpretaris de patinis & scutellis, quæ mundentur, si in pauperes cibi distribuantur. quis non rideat?

§7. Indigne fers folio 110. à Summo Pontifice casus aliquos suæ Absolutioni reseruari; cum omnes sacerdotes sint paris potestatis, sed falsum loqueris. Sic enim cuilibet sacerdoti datur peccata remittendi licentia; vt à Superioris sui minime eximatur dispositione & obedientia. Legisti apud S. Cyprianum lib. de vnitate Ecclesiæ: *Hoc erant ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis*: cur taces verba statim sequentia? *Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & Cathedra vna monstretur.* Compositus ex fraudibus es.

ARTI-

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Purgatorio, Sacrificijs pro Defunctis, & Indulgentijs.

Caput I. De Purgatorio.



Vrgatorium non credis, quia scriptum non est. Agnosco coccysmum Arij, Eunomij, Pelagij, &c. Legis Matthæi 5. carcerem in quo satisfiat vsque ad nouissimum quadrantem; num credis? hunc enim locum de purgatorio acceperunt antiquissimus martyr Cyprianus de laude martyrij, & epist. 52. S. Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 59. & alij sacri interpretes. Purgatorium describit Apostolus 1. Corinth. 3. *ipse autem saluus erit, quasi per ignem*; attestantibus Origene hom. 6. in Exod. S. Hieronymo in cap. 4. Amos S. Augustino in psal. 37. &c. Duo tantum loca, aut status alterius vitæ, si quando asserantur; id intelligitur de locis, seu statibus perpetuis eorum, qui aliquando rationis vsum habuerunt; vel etiam infantes in originali peccato mortui damnatis accensentur; quia gratia & gloria perpetuum priuantur.

§ 2. Inexplicabile esse ais folio 113. *quomodo animæ, cum spiritus sint, à corpore separatæ naturali igne vri possint. Corporeus seu naturalis ignis requirit corpoream seu naturalem materiam; qua consumpta, nequit diu conseruari ignis. Si ergo ignis iste non habet corporalem seu naturalem materiam, in quam agat, quomodo consistet?* Dei virtute, cui æque facile est ignem sine lignis, aliusue materiæ pastu conseruare, quam hominem sine cibo; quo nec Beati in cœlis, nec damnati in tartaris nutriuntur. Si dexteræ Dei hanc negas potentiam, explica nobis qua inferni flamma inextinguibilis pascatur materia;

forte ex silua Hercinia dæmones arbores cædunt. Vtriusque Deus potens est, & materiam subterraneis ignibus sufficientem subministrare, & sine tali materia eos conseruare; nihil dubita. Sed non vides, quomodo spiritus incorporei ab igne corporeo torqueri possint? Sic tandem consistet vestra specialis & infallibilis fiducia quam primum à morte transeundi ad æternam vitam; si nullum sit purgatorium; non limbus puerorum, folio 119. non infernus; nam si spiritus nequeant igne cruciari, extinguatur ignis ille, vtique corporeus, *qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Matth. 25. At vero *cur non dicamus quamuis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pæna corporalis ignis affligi? si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.* S. Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 10.

§ 3. Etsi igitur de modo, quo spiritus ab igne excrucientur, aut alijs quibusdam ex fide nihil certum sit; purgari tamen animas in altera vita constans etiam veteris Ecclesiæ sententia fuit. Tu ipse folio 115. fateris hanc doctrinam in Christiana Ecclesia valde cito incepisse; eamq; S. Gregorium aliosq; iam à 1000. annis Patres tenuisse negare non potes, folio 122. Opponis S. Cyprianum; sed is negat in altera vita satisfactionis locum esse illis, qui in peccato mortali sine vera pœnitentia moriuntur; in gratia Dei defunctos post mortem satisfacere astruit locis citatis. Quæstiones, quas Iustini & Athanasij nomine citas, folio 116. neutrius sunt; nec nobis aduersantur; definiunt, post mortem rapi ad infernum damnatorum animas; iustorum vero ad cœlum duci; ita est; si in perfecta iustitia sine vllius culpæ, aut pœnæ reatu decedant; cum eiusmodi vero reatu hinc egressas in purgatorio satisfacere non

nega-

negatur in illis quæſtionibus; quarum, vt dixi, nec certa eſt auctoritas. S. Auguſtinus ambigit de qualitate pœnæ, non de ipſo purgatorio; quod non ab hac vel illa, ſed generatim ab Eccleſia teneri aſſerit l. 21. de ciuitate Dei cap. 24. *Pro defunctis quibuſdam vel ipſius Eccleſiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio.* Orientalem Eccleſiam in V. generali Synodo ſimpliciter reprobaſſe purgatorium, eſt tuum folio 117. mendacium.

§ 4. Vt probetur purgatorij Catholicum dogma rationi quoque congruum eſſe; in idem ipſius naturæ ductu pleraſq; Gentes conſenſiſſe oſtenditur: tu irrefragabile eſſe folio 115. crocitas, à Gentibus, non à fidelibus originem ducere. Deus eſt, cuius iuſtitia nullum malum relinquit impunitum, ſeu in hac, ſeu in futura vita; quam Numinis æquitatem à ſe cognitam Gentes ſuſpexerunt; ſapientiores ſcilicet mulis, in quibus non eſt intellectus; & cœca Prædicantium gente, quorum obſcuratum eſt cor inſipiens.

§ 5. Apparuerunt non raro animæ pœnarum, quas in purgatorio luunt nunciæ; vt teſtantur S. Gregorius Romanus, S. Gregorius Turoni in Gallia Epiſcopus; in Anglia venerabilis Beda, & S Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus; alijq; ſapientia, virtute, miraculis clari. Prædicans horum auctoritatem faceſcere iubet, folio 122. non animas, ſed diabolos apparuiſſe ait. *Magnam quandam potentiam arripueris, ſi tibi licuerit præcipiendo conſequi, quod varijs & inſidioſis artibus ſuis diabolus ipſe non obtinuit, id eſt, ſi nobis perſuaſeris vt traditionem ſuperioribus omnibus ſeculis, a tot Sanctis obſeruatam præ impijs veſtris commentis aſpernandam ſtatuamus.* Hæc tibi ego, quæ impio Eunomio lib. 1. S. Baſilius ſcripſit. S. Chryſoſtomus homil. 29. in Matth. tradit, diabolos eſſe qui hominibus apparent; & ſe ex animabus

in dæmones transijsse clamant: subdit, animas non versari in his terris; puta ordinarie, & tanquam in locis proprijs. Deo, cuius arbitrio parent, cum apparent, leges ille neutiquam præscribit. Purgatorium, de quo inprimis agitur, aperte testatur homil. 32. in Matth. *putas filium maculis inquinatum obijsse? da illi sua* (per eleemosynas) *vt illis se à maculis detergat.*

Caput II. De sacrificio Missæ pro defunctis oblato.



SAncte pro defunctis sacrificari euincitur, ex 2. Machabæ. 12. tu folio 125. futilibus ratiunculis Machabæorum libros è sacro canone pertinaciter extrudis, quos *nec Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet*. S. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 36. Rationes toties protritas non repeto.

§2. Pro defunctis orandum esse tradidit S. Augustinus; pro eisdem Missas fieri debere definiuit sub Carolo Magno Synodus Cabilonensis; idem antea tenuerunt Gregorius Magnus, & 1055. abhinc annis Pelagius I. Hæc omnia tu sponte refers pessimus causæ tuæ patronus. Sub Pelagio ais hunc morem fecisse initium; teste Platina; idem repetis folio 139. 140. 157. sed toties mentiris, nec Platinam intelligis; is enim à Pelagio scribit institutam mortuorum commemorationem in Missa; certam scilicet precem, quam Momento mortuorum vocamus; sed sine illa sacrificium vel sola mente, vel alia ad cuiusq; libitum precatione pro defunctis offerri poterat, & offerebatur.

§3. Vbi Patres, Prædicans, historiæ Ecclesiasticæ, iura canonica, vt sacrificandi pro mortuis perpetuum Catho-

licæ

licæ Ecclesiæ vsum ostendas Acatholicum? Cypriani sententiolam affers, quam nihil vobis patrocinari priori cap. § 3. exposui. Addis Hieronymum, qui in cap. 6. epist. ad Galatas scribit; *dum in præsenti seculo sumus, siue orationibus, siue consilijs inuicem posse nos coadiuuari: Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed vnumquemq; portare onus suum.* Onus hoc sunt crimina, & pro eis luendus gehennæ ignis, à quo nullæ preces liberabunt. Imposturam tuam ex vtroque hoc sancto Doctore mox detegam.

§ 4. Tibi vnicum Tertullianum obijcis, quem in tuas partes trahere frustra niteris, folio 126. taces tantos, & tanto numero Patres, ne mendacij conuincaris, qui ante Pelagium pro mortuis sacrificatum esse inficiaris. Tertullianus cap. 3. de corona militis: *Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus.* S. Cyprianus epist. 66. *Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes & salubriter prouidentes, censuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur: neq; enim apud altare DEI meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit auocare.* S. Hieronymus fideles in hac vita satisfacere posse pro defunctis eleganter scribit ad Pammachium, quem de coniugis morte consolatur, epist. 26. cap. 2. *Pammachius noster sanctam familiam, ossaq; veneranda, eleemosynæ balsamis rigat: his pigmentis atque odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum: sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Et quid aliud teneret vir sanctus, quam quod tota tenebat Ecclesia? cuius calculo Aërius inter Hæreticos habitus est, *dicens orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere*, vt S. Augustinus refert hæresi 53. ipse vero ex Catholica sententia in Enchiridio c. 110.

 scribit:

scribit: *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Cum ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcunq; eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis* PROPITIATIONES *sunt: pro valde malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunq; viuorum consolationes sunt.* Idem luculentissime testantur græci Patres; S. Cyrillus Hierosolymitanus cathechesi mystago. *Pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur consecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij.* S. Ioannes Chrysostomus homil. 3. in epist. ad Philip. *Non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt: nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis.* Ad hæc respondendum tibi erat; sed silentio tegere maluisti, quam cum Kemnitio tuo p. 3. in examine Concil. Trident. fol. 102. fateri Chrysostomum pro nobis esse; subdit Kemnitius; *ex Scripturis canonicis assertio illa probari non potest.* Verum hanc non propriam S. Chrysostomi, sed communem Catholicæ Ecclesiæ etiam tum fuisse sententiam, vel inde ostenditur, quod Chrysostomi hostes plurimi, potentissimi, & in eius fidem vitamq; oculatissimi non intermisissent tam grauem errorem, vt Lutheristis erronibus placet, in illo culpare. S. Chrysostomo antiquior, & Magno Basilio familiaris erat B. Ephræm, qui *ad tantam venit claritatem, vt post lectionem Scripturarum publice in quibusdam Ecclesijs eius scripta recitentur*, inquit S. Hieronymus de scrip. Ecclesi. Tanti vero patris hæc postrema vota sunt: *Accedite ad me igitur, ô fratres mei, & extendentes componite me: nam Spiritus*

meus

meus penitus defecit. Et comitamini me in psalmis, atque orationibus vestris; & assidue pro mea paruitate oblationes facere dignemini: & quando diem trigesimum compleuero, mei memoriam faciatis. Mortui enim in precationibus atque oblationibus commemorationis sanctorum viuentium beneficio afficiuntur. His heroibus se peritiores, & in Scripturis intelligendis perspicaciores iudicant nani prædicantici pepone magis insulsi. *In antiquis est sapientia.* Iob. 12.

Caput III. De Indulgentijs.

IN hac materia Prædicantes plerumque laxas mendacijs & conuitijs indulgent habenas; tu & Æsopo plenus, ac totus ridiculus es. Scurraris, nos opinari the aurum ex Christi Saluatoris nostri, omniumq; Sanctorum satisfactionibus collectum instar pecuniæ in aliquo loco, seu arca Romæ detineri; & super hac fabula Lamias turres exstruis, folio 129. & 130. *1. Nihil in Scriptura de tanto thesauro in templis Romæ deposito. 2. Quomodo satisfactiones supererogationis in 4. templis S. Petri, S. Pauli, S. Ioannis in Laterano, S. Mariæ maioris deposuerint Sancti, quorum pleriq; Romæ non vixerunt? 3. Cum Roma sit à Spiritu S. dicta Babylon; credibile non est thesaurum in hac vrbe esse depositum. 4. Ex Christi verbis discimus ab eo thesaurum suum non in vno loco clusum, sed toto orbe diffusum esse. 5. Christus non vnum, sed plures constituit dispensatores nobis à se obtentæ indulgentiæ; quam verbo suo, non aureo vel argenteo malleo recludi voluit. 6. Si omnes Sanctos rogemus, an eorum supererogationis opera Romæ in vnum cumulum congesta sint, negant.* Verum te insanire dij hominesq; affirmabunt. De asino mulum pingis; ex delira phantasia hæc tam ridicula argumenta parturis. *Iste*

scribit de fratre tuo Eunomio S. Basilius lib 1. *sibiipsi contra rationem substratis, quacunque voluit; & ijs quæ inde consequuntur assumptis seipsum postea in absurdas cogitationes detrudens hinc sese demonstrasse putat sua placita necessario recipienda.* Nec mereris aliud responsum; quia tamen insipientibus quoque debitores sumus, ex ijs, quæ subiungam, disce sapere.

§ 2. Et potestatem concedendi Indulgentias, & potestatis vsum inuenires in sacris litteris, si in eas non offenderes, vt cæcus in petram, qui læditur, non illuminatur. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* Ioan. 20. *Quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Matth. 18. Audis remittendi & soluendi auctoritatem, & negas indulgendi facultatem. Qua vsus est Apostolus 2. ad Corinth. 2. *Cui autem aliquid donatis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi, vt non circũueniamur à Satana.* Quam donationem fuisse præfatæ soluendi potestatis functionem testantur S. Epiphanius hæresi 59. & S. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 6. sed quid indulsit? non culpam remisit; nec inferni reatum; quæ per pœnitentiam iam remissa erant; quid ergo? pœnam temporalem dimissa etiam culpa luendam. Huiusmodi pœnæ relaxatio est Ecclesiæ Indulgentia: quæ si interdum prædicetur peccatorum plena remissio; id non asseritur, quasi culpas ipsas eluat; sed quod peccata pœnitentiæ virtute quoad culpæ maculam absterfa, etiam quoad temporalem pœnam relaxet; quæ remissionis peccatorum quædam perfectio, seu plenitudo est. Quamuis enim pœnæ temporales non sint culpæ; sunt tamen culparum effecta atque reliquiæ; quin ipsæ quoque vsitata Scripturis phrasi, Gen. 43. Deut. 5. lib. 3. Regum cap. 1. Prouerb. 16. peccata dicuntur. profecto peccatorum nomine comprehenduntur in Domini verbis: *Quorum remiseritis peccata,* &c. seu culpas, seu ex eis

enatas

enatas illas pœnas, quæ in foro Dei luendæ essent in hac vel altera vita; nisi ab eis absoluamur, quibus soluendi credita est dispensatio. Ex his facile disijciuntur, quas inextricabiles somnias contradictiones.

§3. Dispensatorum omnino plures sunt; sed vni subsunt; cuius nutu ad opus suum egrediuntur & regrediuntur. Omnibus Apostolis dixit Christus: *Quorum remiseritis peccata*, &c. *tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit; & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.* S. Cyprianus cap. 3. de vnitate Ecclesiæ.

§4. Thesaurus vero, quem Christi Vicarius, aut eius permissu alij Prælati dispensant non muro, aut loco clauditur: quia corporalis non est; sunt enim ipsa Christi Sanctorumq; eius satisfactoria opera in Deo ad satisfactionẽ ea acceptante tanquam in scrinio reposita. Huic thesauro, quia indies adhuc fit accessio; concludis folio 136. credibile non esse claues ad eum Apostolis traditas. Nam si princeps alicui claues ærarij committat; id non amplius locupletari poterit. Isti mox subtendis aliud nugamentum. *Si S. Petro, & Pontificibus Dominus ad Indulgentiarum thesaurum claues dedit; cur Papa portam clausam non clauibus, sed aureo, vel inaurato malleo aperit?* Ebrius es nimio hæresis musto; edormi tandem istam de sensibilibus thesauro ac clauibus crapulam.

§5. Et quis sobrius hanc thesin Ingolstadij olim datam: *Etsi probabilis est sententia asserentium iam restrictam sublatamq; esse Episcoporum potestatem ad concedendas defunctis Indulgentias*; ita Germanice reddat? **Ob wol etliche darfür halten / die Bischöff oder Bäpst haben keinen Gewalt / den Verstorbnen Ablaß zugeben.** folio 131. *etsi quidam sentiant, Episcopos vel Papas non habere potestatem ad concedendas defunctis Indulgentias.*

 Si Epi-

Si Episcopis restricta est hæc facultas, per Romanum Pontificem restricta est. quod ipsi Pontifici olim concessa, iam sublata sit, tuum quæ legis non intelligentis figmentum est.

ARTICVLVS OCTAVVS.

De sacrificio Missæ.



Piritus manifeste dicit; quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, ait Apostolus 1. Timoth 4. Omnis quidem hæresis diaboli proles est; sed potiori iure hunc sibi patrem vendicant, qui, Luthero magistro, iuge & vnicum nouæ legis sacrificium immanibus blasphemijs proscindere didicerunt. Alijs hæresiarchis errores instillauit cacodæmon transfigurans se in Angelum lucis; his deplorandis temporibus inuenit virum secundum cor suum, quem facie ad faciem alloqui, & de Christi Ecclesia ab erroribus repurganda instruere voluit: Missæ sacrificium quem vt supremum Dei cultum vniuersa semper suspexit Christianitas; abominandam idololatriam esse detexit: & primus eius abolendæ auctor fuit. Pessime habuit diabolum tot millia hominum perire sub Antichristi regno, nec Deum, vt Scriptura iubet, coli: & ex inimico nouus Euangelista atque Apostolus factus fecit salutem hanc magnam in Israël. Lutherus quindecim annis sacrificium Missæ operatus, & pro sacrosancto veneratus est vsque ad ipsam horam, qua cum eo diabolus disputauit; cuius argumentis conuictus de Missa abroganda cogitare cœpit. Quæ omnia non paucis verbis comprehensa, sed in longum singulari Dei prouidentia posteris descri-

descripta reliquit; & leguntur in tomo 7. Latino, fol. 228. Witebergæ, & in tomo 6. Germanico folio 83. Ienæ edito. Diabolum interim Diuina virtute compulsum vix pauculis verbis veritatem fassum legimus; sed quod tanto ipse opere ad eradicanda in Ecclesiæ agro superstitionis lolia desudarit inauditum, nec ab vllo cor & cerebrum habente creditum est. *Inimicus qui zizania seminauit est diabolus*, inquit Christus, Matth. 13. Missæ abrogationem seminauit diabolus: Conclusionem Prædicantibus cogitandam relinquo. Irruit etiam olim Christi aduersarius in veneranda hæc mysteria; sed in ea tam horrendis blasphemijs non desultauit. Magnum Antonium testatur S. Athanasius cœlesti visu, ac prophetico spiritu cognouisse instantem Arianorum in sacra altaria debacchationem; & post vberes lacrimas ac suspiria in has voces erupisse. *Magnum quoddam & vniuersis seculis inauditum imminet nefas. Magno fides Catholica turbine subuertetur, & homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum quos audistis. Et facta est vox Domini dicens: Abominabitur altare meum; nec mora, visionem sequitur effectus. Nam post annos duos sæua Arianorum irrupit insania. Tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis* (Hæreticorum) *Ethnicorum manibus sacra polluta sunt ministeria.*

§ 2. Sacrificium Missæ argumentaris folio 183. esse contra sacramenti Eucharistiæ institutionem; idem erat diaboli præcipuum argumentum. Sed tantum abest, vt verbis Institutionis repugnet sacrificium, vt hoc per illa ab ipso Christo primum peractum sit. Nam qui semel in ara crucis cruenta cecidit victima; idem verus secundum Ordinem Melchisedech Sacerdos & Pontifex, psal 109. ad

Hebræ. 7. seipsum modo incruento Patri in vltima cœna obtulit; & vere sacrificauit: idemq; in suæ mortis commemorationem ab Apostolis suis, eorumq; in sacerdotio successoribus fieri voluit; vt veteres quoque Patres attestantur; S. Cyprianus epist. 63. S. Chrysostomus homil. 83. in Matth. B. Theodoretus in cap. 8. epist. ad Hebræos, &c. quæ Saluatoris nostri iussa à 1500. & pluribus annis vniuersa Ecclesia religiosissime obseruauit; vt ex veterum monumentis & Ecclesiasticis historijs certissimum est. Occurrit inter alia S. Laurentij nobilissimum martyrium; qui 1346. ante annis ad B. Sixtum Papam acclamabat: *Quo sacerdos sancte sine diacono properas? Tu nunquam sacrificium sine ministro offerre consueueras* · refert S. Ambrosius lib. 1. Offici. cap. 41. Quanto eiusdem sacrificij desiderio teneretur Maris magnæ sanctitatis vir ante annos 1200. narrat B. Theodoretus in historia SS. Patrum cap 20. *Cum autem longo tempore desiderasset videre offerri spiritale & mysticum* (quia mystica non corporali mactatione peragitur) *sacrificium, rogauit vt diuini domi illic fieret oblatio. Ego vero lubenter parui, & iussi sacra vasa afferri, pagus enim haud longè aberat: & pro altari vsus diaconorum manibus, mysticum, diuinum & salutare obtuli sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate & existimabat se ipsum cælum videre, dicebatq; se nunquam tantam cæpisse lætitiam.*

§ 3. Verum vt fidelibus desiderabile, ita dæmonibus fuit semper formidabile hoc sacrificium; quo dæmonum cultus pessum ibat. *Huic summo veroq; sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt*, inquit S. Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei, cap 20. Sed & illius virtute passim dissipantur dæmoniacæ insidiæ & præstigiæ, cuiusmodi exemplum idem S. Augustinus lib. 22. cap. 8 describit: *Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zabedi appellatum,*

pellatum, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, vt aliquis illorum illo pergeret, cuius orationibus cederent; perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, Deoq; protinus miserante cessauit. Aduertis quam gratam rem familiari sibi dæmoni præstiterit sacrilegum caput Lutherus; cuius vos impietatem æmulamini. οὔτι γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, ait vetus poëta; ex squilla non nascitur rosa.

§4. Admittis Missam iam à 1000. annis in Ecclesia frequentatam; prioribus 5. seculis incognitam fuisse mentiris; & stulte laboras, vt ostendas Kyrieeleison, Gloria in excelsis, & alia tempore Apostolorum nec dum in vsu fuisse; in testem vocas S. Gregorium: *mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo orationem* (dominicam) *oblationis hostiam consecrarent*. lib. 7. epist. 63. nihil id nobis aduersatur, qui agnoscimus in verbis consecrationis ita hoc compleri sacrificium, vt præter ea nec Dominica oratio, nec aliæ seu Canonis, vt vocamus, seu extra canonem preces desiderentur ad sacrificij substantiam: Quia tamen tantum mysterium nunquam satis digne celebrari potest; varia quasi emblemata ad id condecorandum, & deuotius peragendum à sanctis Pontificibus adiecta sunt. An ideo Christum Apostolosq; concionatos esse negabimus; quando non prælegebant textum Euangelij; ad nullum hymnum vel psalmum cantandum plebem ante & post concionem inuitabant? vt hæc minime ad concionis naturam, ita nec aliæ præter Christi verba preces ad sacrificij Euangelici rationem pertinent & essentiam.

§5. Missam in qua solus sacrificans corpore & sanguine Christi reficitur; nec ea alijs distribuit; priuatam dicitis,

quæ vel ideo priuata non est, quia pro salute omnium fidelium offertur; sed sic loqui Lutherum docuit diabolus; quem affatur: *audi Luthere, Doctor perdocte, nosti etiam te 15. annis celebrasse Missas priuatas, pene quotidie?* Pergit diabolus: *Mens, & sententia, & clara institutio Christi est, vt sacramento communicent & alij Christiani.* Vides ex cuius pharetra tua petita sint tela, quæ in sacra iacis mysteria; mendacijs tamen ipsum quoque diabolum hoc loco vincis; multis seculis audacissime folio 144. asseris nullas priuatas Missas esse celebratas. Perpetuus Apostolorum comes fuisti; nec te clam sacrificare poterant. S. Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 20. scribit, Christum voluisse, vt quotidianum in Ecclesia esset corporis sui sacrificium; an & laicos quotidie omnibus seculis communicasse affirmabis? Producis decretũ cuiusdam Concilij, quo statuebatur, ne solus sacerdos sacrificaret; sine ministro scilicet; quod etiam hodie à plerisq; obseruatur. Si qui propter ministri idonei defectum, aliamue ob causam non obseruent, non ideo consuetas preces Dominus vobiscum, Oremus, &c. mutare decet; & orare ex persona ac pro salute populi etiam absentis licet. *S. Chrysostomus,* inquis, *valide se opposuit, ne cœna Dominica verteretur in priuatum symposium.* Quid sacrificio & symposio? In verbis, quæ allegas, S. Pater contra eos agit, qui à communione populum arcent; vt inuitus quis adigatur, vel ob communicantium defectum à sacrificio desistatur, minime tradit.

§ 6. Folio 146. originem nominis Missæ exquiris; & ad Antichristi idolum Maozim refers; cum quo magnam habeat conuenientiam. quæ vt maior appareat, pro Maozim legis Maosim; cum tamen in Hebræo legatur מעזים Mauzim, an Maozim; quod non plus conuenit cum nomine Missa, quam cum Martinus, quod Luthero tuo no-

men

men fuit. Missæ nomen ais folio 150. non inueniri apud antiquiores Ambrosio & Augustino. & quis te tuosq; his comparet? tanti vitreum, quanti margaritum? sed & mendacium loqueris; nam Missæ nomen habetur in vetustissimorũ Pontificum & martyrum epistolis S. Felicis I. S. Cornelij, S. Telesphori, S. Alexandri, qui 1482. abhinc annis in Cathedra Petri sedit, & forte Apostolos vidit; eius in epist. 1. cap. 4. verba sunt: *In sacramentorum quoq; oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est; vt eius, cuius corpus & sanguis conficitur, passio celebretur.*

ARTICVLVS NONVS.

De substantia & fructu sacrificij Missæ.



AD sacrificium, quia ita vis, redeo nec sine causa adhuc de eius substantia quæris, quia superiore articulo, quas à diabolo didiceras, euomuisti blasphemias; ad quod venimus, hoc age. Tanquam potestatem habens loqueris folio 152. negamus Missam esse sacrificium vere propitiatorium; quia vnicum est Christi in cruce cruentum propitiatorium sacrificium, ad quod nobis applicandum nullum aliud sacrificium, sed concionandi officium institutum esse vis, folio 153. Acatholicum hoc & Antichristianum paradoxum est. Ex Ecclesia Christi tollis omne verum sacerdotium; subuertis templa & altaria; Cathedras & suggestus crepas. *Hoc facite*, ait Christus, *in meam commemorationem*; de concione ibi nulla mentio. Luculenter S. Cyprianus epist. 63.

Quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem (quoad symbola & species sensibiles) *quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Et: *Si Iesus Christus Dominus & DEVS noster ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique ille sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* S. Chrysostomus homil. 24. in 1. Cor. *Pro brutorum cæde seipsum offerendū præcepit.* Sic & S. Augustinus. *Nonne semel immolatus est Christus in semetipso? & tamen in sacramento non solum per omnes Pascha solemnitates, sed omni die populis immolatur, nec vtiq; mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari.* epist. 23. De Christo seipsum immolante in vltima cœna eleganter S. Nyssenus orat. 1. de resurrect. *Sese oblationem offert pro nobis, simul Sacerdos & Agnus qui tollit peccata mundi. sed dices mihi quando hoc accidit? Tum cum corpus suum ad comedendum, & sanguinem familiaribus præbuit ad bibendum. Homo enim oue vesci non potest, nisi mactatio præcesserit. Qui igitur dedit discipulis corpus ad comedendum, apertè demonstrat, iam perfectam & absolutam esse Agni immolationem.* Ita de corporis Christi sacrificio veteres; quam doctrinam falso nouitatis postulas fol. 157. addis alterum mendacium, Petrum Lombardum ante 447. annos negasse id esse proprie sacrificium; refers ad longum verba ex lib. 4. dist. 12. quæ te mendacij arguunt: nihil ibi negat, sed sacrificium vocari ait; quia est memoria & repræsentatio veri sacrificij crucis: ergo, infers, ipsum non est proprie sacrificium. rectius inferes; ergo, si perfecta est repræsentatio, id quoque erit vere sacrificium, nam sacrificium plenius à sacrificio repræsentatur, quam

à non

à non ſacrificio ; ſicut hominem perfectius repræſentat alius homo, patrem filius ; quam ſculpta aut picta imago. & vetera ſacrificia figuræ erant ſacrificij crucis, illudq; repræſentabant, vere tamen, ac proprie ſacrificia erant.

§ 2. Præcipuus porro ſacrificij huius fructus eſt, pœnæ temporalis ex peccatis perſonalibus contractæ remiſſio; nam ſacrificium in cruce peractum nos ab omni culpa, & pœna pleniſſime redemit quoad ſufficientiam; ſed hanc redemtionem nobis applicari per inſtituta ab eodem media ipſi fatemini; in quibus medijs vniuerſus orbis Chriſtianus ſemper ſacrificium altaris recenſuit: vos inſtar Iudæorum ſine Pontifice, ſine ſacerdote, ſine altari ſpeciem quidem pietatis in ſacras Scripturas habetis, virtutem autem eius abnegatis. Sed ais folio 154. ſecundum Thomam Aquinatem in opuſculo de ſacramento altaris cap. 1. Chriſtum pro ſolo originali peccato mortuum eſſe. falſum eſt, non ſentit id S. Doctor; hoc tenet, Chriſtum ita pro originali mortuum, vt ad illud abolendum non ſit reliquum verum aliquod ſacrificium; ſicut ad tollendum quotidianorum delictorum reatum habemus Chriſtum quotidie in altari vere immolatum; vtrumq; B. Thomas comparat ſacrificium, neutrius integrum determinat effectum.

§ 3. *Quid ſi in Miſſa non corpus Chriſti, ſed tantum particula panis & vini pro viuorum ac defunctorum peccatis offerretur?* Hæc tua folio 155. verba ſunt. quam bene in diaboli ſchola profeciſti: eadem enim ille perfidia interrogat: *quid ſi ibi non adfuiſſet corpus & ſanguis Chriſti, ſed tantum panem & vinum adoraſſes, & alijs adorandum propoſuiſſes?* to. 7. lati. Lutheri Witeb. folio 228. Tu cum diabolo Caluiniſtis viam ſterne; nos regiam tenemus. *Hoc ſciens* ait S. Cyrillus Hieroſolymitanus catech 4. Myſtago. *& pro certiſſimo habens,*

panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat; sed esse corpus Christi; & vinum quod a nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi. Et S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Panis iste panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* S. Gregorius Nyssenus orat. catech. cap. 37. *Recte igitur nunc quoque panem, qui verbo Dei consecratur, in corpus Verbi Dei transmutari credimus.*

§ 4. Quam mendaciter ergo hanc de Transsubstantiatione fidem asseris fol. 156. veteribus Doctoribus incognitam fuisse: cui adeo aduersa non sunt instituta SS. Eucharistiæ verba, vt ex illis ipsis rectissime comprobetur. *Hoc est corpus meum*, ait Dominus; pronomen Hoc natiua suæ proprietate designat substantiam accidentibus proxime suppositam; adeoque panem si remanet; qui tamen ipsum Christi corpus esse non nisi falso asseritur. Tu qui Transsubstantiationem negas, fateris ipse Christum non proprie, sed tropice locutum; tropum vero vsitatum esse. Verum proprio sensui præferri nequit figuratus, quando id non exigit fidei regula; & hic insolentissimus tropus fingitur; etsi enim per vasa ad aliquid intra se continendum apparata sæpe intelligamus res ipsis contentas; eiusmodi tamen vas non est panis; & tropus insuetus foret, si quis auro in panem abscondito diceret: Hoc est aurum. Facescite tropistæ; nos verborum proprietati sancte inhæremus.

§ 5. *Libenter*, inquis folio 159. *intelligeremus qua potestate & coram Deo excusatione verum substantiale corpus Christi in duas aut tres partes frangant, cum de Agno paschali, & Christi corpore scriptum sit, Os non comminuetis ex eo.* Exo. 12. Ioan. 19. Quæram & ego, qua impudentia profitearis te dogmata nostra demon-

demonstraturum falsa & acatholica; in quibus adeo infans & hebes es. Species franguntur, sub harum qualibet parte est totus Christus, & integer ac illæsus permanet, in quotquot illæ partes abeant. Hæc te non intellexisse ridebunt fratres tui Vbiquistæ, qui corpus Christi vbique vere, substantialiter adesse tecum prædicant; an Christum diuiditis, quoties panem, carnem, aliudue scinditis? Tam rudis cum sis, nihil miror te Canonis verba non intelligere; nec ea te docebo; in manibus est Bellarminus, qui Kemnitio, quem tu legisti, ad omnia respondet lib. 2. de Missa.

§ 6. Scurraris nos vilius Christum in sacramento vendere, quam Iudas vendiderit, folio 157. An quia sacerdotes stipendium accipiunt, Christum vendunt? ergo qui pro concionandi munere sustentationem recipiunt, Euangelium vendunt. *Quis militat suis stipendijs vnquam? & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* ad Rom. 9. sic & qui sacrificant, de altari viuunt; quod altare vel victimam vendant mera sycophantia est.

ARTICVLVS DECIMVS.

De festo Corporis Christi.

INstitutum est hoc festum ab Vrbano IV. 345. abhinc annis, consentientibus omnibus Episcopis, Regibus, Principibus; & vniuerso orbe Christiano; quando nullus adhuc satus erat Lutheranus, Caluinista, Zuinglianus, viperina nostrorum temporum genimina. Quia tamen eos nascituros Spiritum S. latere non poterat; is pro sua in Christi Ecclesiam, quam regit, prouidentia tanto ante tempore fideles ad egregiam

erga ineffabile hoc sacramentum pietatem ac deuotionem excitare voluit, vt aduersus mundi rectores tenebrarum, contra spiritualia nequitiæ, Lutheri, Zuinglijq; magistros possent resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Profecto ex Christianis Principibus SS. Eucharistiam deuotissime hereditaria Religione coluerunt Regiæ familiæ Austriaca & Bauarica; eædem in fide Catholica contra typhonicos hæreseos flatus immotæ perstiterunt. Sensit ergo Diuini spiritus consilium Vrbanus Pontifex: qui in sua de hoc festo constitutione sic scribit: *Licet igitur hoc memoriale sacramentum in quotidianis Missarum solemnijs frequentetur: conueniens tamen arbitramur & dignum, vt de ipso semel saltem in anno ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam, & insaniam memoria solemnior & celebrior habeatur.* Hæc radix est furoris, quo in hoc festum dæmon eiusq; satellitium Prædicantes tumultuantur.

§ 2. Ex Vrbani Constitutione tria colligis folio 162. *Primum, festum hoc ad dignam sacramenti sumptionem institutum est, non ad illam pompam, & circumgestationem, qua nunc celebratur.* Vtrumq; ad Pontificis intentionem pertinet: nullum ille Deum glorificandi præfixum terminum esse voluit; qui spiritu exultans exclamat: *O excellentissimum sacramentum. O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconijs exaltandum, CVNCTIS honorandum studijs, deuotis prosequendum obsequijs, & sinceris mentibus retinendum.* Secundo, affirmas olim *hoc festum dictum esse corporis & sanguinis Christi*; opinor, quia Pontifex appellat sacramentum corporis & sanguinis: sed ipsum diem sic denominatum non inuenio; nec inuiti hoc nomen feremus, qui viuum, haud exsangue Domini corpus credimus. Tertio, ex festi Responsorio: *Omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus*, concludis fideles eo

tempo-

tempore sub vtraque specie SS. Eucharistiam sumpsisse. Erras, quia hæc & similia etiam hodie in Diuino Officio repetimus: etsi enim non omnes de calice participant sacramentaliter, participant tamen spiritualiter, quia pro omnibus in Missæ sacrificio offertur. Verum & calicis nomine constat non scyphum, sed Christi sanguinem intelligi, cuius omnes fiunt participes. Ipsius calicis argentei non ita pridem Lutheranus Prædicans se fecit participem, sibi integrum retinendo; quem tamen non instar furis clam, sed conscijs alijs à se retentum nuper edito Germanice apologetico protestatus est; si vas in quo Christi sanguis (vt vobis persuadetis) dispensabatur, nunc in symposijs vsui sit, absurdi nihil habet apud Prædicantes; qui toti in eo sunt, ne tanto sacramento honor, cultus, adoratio exhibeatur.

§ 3. In hunc enim scopum diriguntur tela tua; *hoc festum non est ex traditione Apostolica*, folio 162. *non est adeo necessarius, & Deo gratus cultus; quin prima sacramenti corporis & sanguinis Christi institutioni contrarius; cùm etiam Christianus populus vltra 1200. annos hoc festo caruerit, sine incommodo in posterum quoq; caruisset.* folio 163. Celebratis ipsi Apostolorum festa; an ex Apostolica institutione? Christus suum corpus in cœna instituit: ergo contrarius est Christo, qui hoc cœleste ferculum solemni pompa gratitudinis indice, & amoris symbolis veneratur, adorat, & non statim ori infert, **hurtig dem Maul zu?** si princeps de mensa sua alicui edulium mitteret; valde ei ingratum faceret, qui id festiuo comitatu, & cum singulari reuerentia exciperet. Huiusmodi sunt Prædicantium deliria.

§ 4. Longe aliter Catholici Patres, qui huius sacramenti adorationem nobis imperatam tradunt in illo psal. 98. *adorate scabellum pedum eius*; quo loco S. Hieronymus: *hic*

Propheta corpus Dominicum dicit, in quo maiestas Diuinitatis tanquam super scabellum stat. Et S. Augustinus : *Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit : inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Eadem S. Ambrosius lib. 3. de spiri. & litt cap. 12. *Itaque per scabellum terra intelligatur; per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino IESV adorarunt.* Quod si recte adoratur in sacramento Christus; quis de adorationis nimia celebritate conqueretur, nisi Iudæus, aut Iudæo non multo melior ? De sumptu in Christi corpus facto murmurat Christi proditor. Ioan. 12. solemni pompa & acclamatione excipi Dominum indignantur inuidi, Matt. 21. Arcam fœderis nostri sacramenti vmbram rex sanctus & omnis Israël adduxerunt *in omnibus lignis fabrefactis & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis*; lib. 2. Reg. cap. 6. nec quæsierunt an id foret necessarium ac Dei præceptum ; aut superioribus seculis suetum: *& Dauid saltabat totis viribus ante Dominum*, quem tanquam scurram impie derisit Saulis filia ; sicut nunc ridiculis scommaticisq; dicterijs Christum cum iubilo adorantes persequuntur Apostatæ Lutheri pulli. Si ad honorandum principem, aut sponsum vobis licet ingeniosis esse in excogitandis choris, dramatibus, carminibus, splendido apparatu, liceat id nobis in Regis ac cœlestis sponsi laudem; de quo pulcre B. Thomas.

Quantum potes, tantum aude
Quia maior omni laude,
Nec laudare sufficis.

Et

Et quia vt à Iudæis olim visibile Christi corpus, ita nunc idem corpus ab Hæreticis sub speciebus Eucharisticis indignissime tractatur & blasphematur, decet vt à Christianis omni honorum & gloriæ genere quam solemnissime celebretur.

§5. Danielis 11. prædicitur de Antichristo: *Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusq; pretiosis.* Hæc folio 164. ad cultum, quem Christo deferimus, trahis. Vindicabit Dominus in te tantam blasphemiam. An Christum ignorarunt Patres nostri? an non Gentium primitiæ eum auro & pretiosis muneribus honorarunt? Matth. 2. Indignum iudicabat B. Dauid, vt arca Dei sub pellibus poneretur, & ipse in domo cedrina habitaret: & eiusmodi viri sancti cogitatus gratissimi Deo erant, lib. 2. Reg. cap. 7. ecce plus quam arca hic: ipse Dei filius; quem in cupro, plumbo, ligno reponemus, in manicis circumferemus, si Prædicantibus credimus; aurum & argentum patinis & scyphis sine vlla reprehensione reseruabitur. Inuiderat gloriam Christo olim Felix Iuliani Apostatæ quæstor Apostata, *qui vasorum sacrorum magnificentiam conspicatus; ecce, inquit, quam sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur?* Theodoretus lib. 3. histo. cap. 11. Idem Lutheri est spiritus.

§6. Folio 167. sumus tibi Caluinistæ, quia nolumus esse Vbiquistæ; in neutris est, quisquis Catholicus est; & mirum est, quomodo vtriq; adeo inter se dissidentes in vnam impietatem conspirent; quod in venerabili Eucharistiæ sacramento non plus de corpore & sanguine Christi sit, quam in quouis panis frustulo; in neutro corporis & sanguinis Dominici substantiam inesse contendunt Caluinistæ; quam non minus impie in vtroque adesse prædicant Lutheristæ; vtriq; puri puti Euangelici, an putidi & phanatici Schwermeri!

 §7. Io-

§ 7. Iocularitèr & chleuasmo negas à sacerdote per Christi verba sacramentum confici: ore ne manducantis, dentibus, an palato fit? de quo lego; *dixit & facta sunt*, hunc audio dicere, *Hoc est corpus meum*, cur verbo suo operatum esse negem? subscribunt vnanimiter sancti Patres. Ex Oriente testem do S. Chrysostomum, ser. de prodit. Iudæ. *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur*. Ex Latinis Patribus id tanquam indubitatum tradit S. Ambrosius cap. 9. de ijs, qui initiantur, &c. *Quid dicimus de ipsa consecratione Diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur*: quem tu solita impietate demurmurationem vocas.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

De Inuocatione Sanctorum.

Caput I. Vtrum Romanæ Catholicæ Ecclesiæ Theologi in hac materia dissentiant.



Iro amplissimo Ioanni Pistorio imponis, ex eius sententia Scripturam esse vnicam normam omnis fidei ac cultus Diuini, cum tamen in libro quem ad hæresi seductos in viam reuocandos Germanice scripsit, & viæ ducem inscripsit, quemque centies in hoc volumine allegas, mox 2. cap. hanc vestram hæresin egregie destringat. Recipit, ais, se nobiscum ex sola Scriptura de quibusuis Controuersijs disputaturum. an non clare folio 35. quo sensu id dicatur, exponit? *omnia*, inquit *ad credendum necessaria modo quodam inuolute, atque implicite in*

Scriptu-

Scriptura continentur, & ex Scriptura (à sola tamen Ecclesia) declarari & explicari possunt, si Ecclesia eiusq; interpretatio recipiatur. Verissime; idem scite S. Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 33. *Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Eadem omnium Catholicorum sententia est; inter quos cum vnanimis consensus sit, tu nescio qua phrenesi lites & bella somnias. Pistorius, ais folio 173. negat Scripturam esse fidei regulam, alij admittunt. negat ille esse vnicam normam & adæquatam regulam; alij partialem esse admittunt, quanta contradictio!

§2. In Ratisbonensi Colloquio argumentis adacti admisistis aliquid, non tamen articulum, fide credendum esse; quod in Scriptura aperte non contineatur, sess. 11. folio 131. R. P. Adamus Tannerus in compendiaria Colloquij relatione folio 37. scripsit, nos vobis non magnam litem moturos de nomine articuli, modo fateremini Inuocationem Sanctorum, & alia vos credere, quæ ex sola Scriptura euidenter non deducuntur. Ex hos colligis Inuocationem Sanctorum inter traditiones non scriptas à nostris numerari; quam inepte id concludas, ostendunt quæ ex Colloquio Ratisbonensi eodem folio 172. citas, si non mutila, sed integra producantur. *Nulla hæresis* respondet P. Tannerus sess. 8. folio 73. *ex sola Scriptura potest sufficienter refutari; quia nec de ipsa Scriptura, seposita auctoritate Ecclesiæ, sine traditione constare potest, quod sit canonica.* Sine aliqua ergo Ecclesiæ traditione nullum omnino fidei dogma creditur; vt nec tu negaueris, nisi à tuo Brentio in diabolis

haberi velis. Brentius enim in postrema pericope Apolo: pro confess. Wirtemb. agnoscit ex traditione nos habere Scripturas; & addit: *hac traditione nihil est certius, nihil stabilius, & qui ei pertinaciter contradicit, non iam ad hominum, sed diabolorum cœtum pertinet.* Sine traditione igitur nec Christi ex virgine natiuitas, nec eius mors & resurrectio fide Diuina à nobis creduntur, etsi in Scripturis apertissime legantur; non tamen hæc, sed ea absolute traditiones appellitantur, quæ in sacris litteris manifeste non traduntur: in huiusmodi traditionum numero si quis reponat Sanctorum inuocationem, cum hoc nolim contendere, modo eam firmiter credat. Probatur perbene ex Scripturis, ita vt cui intellectus non est obtusior, non difficulter assensurus sit; etsi tanta non sit euidentia, vt ad assensum cogat eum, *cuius tardiusculam mentem impedit & suæ sententiæ præiudicium, & peruicacia grauissima vinculum.* vt in alia re loquitur S. Augustinus lib. 3. de peccat. meri. & remiss. cap. 8.

Caput II. Vtrum Inuocatio Sanctorum in Scripturis fundamentum habeat.

Pie & religiose inuocari Sanctos cum Christo viuentes probatur ex Scripturis, quibus constat à nobis inuocari posse eos, qui in hac vita degunt; *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum*, rogat Samuelem populus Israël, 1. Reg. 7. & populum B. Esther; *orate pro me*, cap. 4. Apostolus, *orate pro nobis*, 1. ad Thessa. cap. 5. ad Hebræ. cap. 13. Si ergo sine Dei ac Christi mediatoris iniuria inuocantur mortales in terris, vbi sine Dei offensiunculis diu non viuitur; cur non licite inuocentur, qui in cœlis ab omni labe puri, in caritate perfecti regnant?

Si id

Si id impermissum sit, causa alia nec fingi potest; quam quod Sancti illi spiritus preces nostras non audiant: sed hunc errorem excludunt varia Scripturæ loca. Angelos non latere, quæ hic geruntur, constat ex Tobiæ 12. Daniel 9. & 10. Lucæ 15. & fatetur Prædicans folio 179. sed ab hac mortalitate cœlum ingressi, *erunt sicut Angeli Dei*, Matt. 22. Angelis in omnibus scientia & gloria pares; nihil enim Scriptura excipit. Hinc S. Chrysostomus homil. 32. in Acta: *Parumper ab Angelis minores fecit nos, morte inquam, sed & hanc accepimus breuissimam.* Item, Sancti in hac vita non raro cognouerunt in locis longe dissitis gesta; & intima cordium sensa. Quid Giezi faceret vidit absens Elisæus: *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo?* &c. 4. Reg. 5. & Regi Syriæ dicunt serui eius: *Elisæus propheta, qui est in Israël, indicat regi Israël omnia verba, quæcunque locutus fueris in conclaui tuo.* 4. Reg 6. Sauli ait Samuel: *omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.* 1. Reg. 9. Si ergo in huius mundi carcere, & corporis animam aggrauantis ergastulo non raro talia amicis suis reuelauit Deus; quis ferat asserentem nihil eiusmodi reuelari spiritibus, qui carnis mole exuti non iam in tenebris sedent, sed ad *fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni; & non egebunt lumine lucernæ, neq. lumine solis, quoniam Deus illuminabit eos, & regnabunt in secula.* Apocal. 22. In exilio peregrina nouerunt sancti; & nihil eorum sciant accumbentes in mensa Regis? Eleganter S. Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 29. *Si ergo in hac vita vbi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ, quasi paruuli ad iuuenem, vidit tamen Elisæus accipientem munera seruum suum, vbi ipse non erat: itane cum venerit quod perfectum est, nec iam corpus corruptibile aggrauabit animam, sed incorruptibile nihil impedit: illi Sancti, quæ videnda sunt oculis*

 corpo-

corporeis, quibus Elisæus absens ad seruum suum videndum non indiguit, indigebunt? Huc pertinent omnes Scripturæ, quibus describitur cœlestis gaudij plenitudo; *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus*, 2. ad Corinth. 4. *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt eum*, 1. ad Corinth. 2. *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ*, ad Rom. 9. Quomodo tam diues & superfluens est in cœlis beatitudo, si non expleatur desiderium, quo quisque suorum, quos amicos habet, statum & casus scire discupit? An de sua salute securi, nihil nostra curauerint? at non est illis ferreum pectus, nec dura præcordia, nec ex silice natos Hyrcanę nutriere tigres, sed Deo, adeoque caritate pleni suorum clientum curam vtiq; agunt; & vt canit B. Prudent. hym. 1. de Calaguritanis martyribus,

Non sinunt inane vt vllus
Voce murmur fuderit.
Audiunt, statimq; ad aures
Regis æterni ferunt.

§ 2. Habes plura loca, vel potius classes & genera locorum, ex quibus deducitur Sanctorum Inuocatio: omitto, quæ à varijs in eandem sententiam apposite explicantur; tu si ideo omissa dixeris, vt folio 176. de D. Pistorio lallas, quod infirma ad causæ probationem agnoscatur, de more mentieris. Disputas, an non tantum concessum, sed & in præcepto sit inuocare cœlites. paucis te expedio, præceptum id est ad modum, quo fideles huius vitæ comites inuocare debemus, ita scilicet vt eiusmodi intercessionem, quando ad eam nos euocant vel bona, quibus fruimur, vel mala quæ patimur, sine negligentiæ saltem culpa vix intermittamus, nunquam sine impietatis crimine tanquam inconcessam, aut infructuosam spernamus.

§ 3. Prohibitam probas ex 2. Paralip. 34. nam ad Iosiam dicit

dicit Dominus : *insereris in sepulcrum tuum in pace, nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum.* Egregium non contra cœlites, sed tuæ inscitiæ argumentum : Iosias mala illa non vidit oculis, seu in corpore, quæ sine afflictione non vidisset ; ergo nec spiritus eius, Deo reuelante, nec tristitia angente, intelligere potuit. Iosias non videt mala; ad quæ auertenda nec inuocabatur : ergo nihil eorum, quæ in terris fiebant, agnouit. Iosias in limbo, nec dum in Domini gaudium ingressus nesciuit, quid hic ageretur: ergo eadem ignorantia caligant, qui facie ad faciem Deum vident. Alia Scriptura ; *Abraham nesciuit nos* &c. Isa. 63. tua sane multiplex est nescientia. Abraham nesciuit, id est, auersabatur Iudæos peccantes, interprete S. Hieronymo; vel nescire dicitur, quia non succurrerat; sicut Deus dicitur non audire, quando non exaudit; tandem, Abraham tunc à cœlo adhuc exulabat, in quo Beati *quid est quod nesciant, vbi scientem omnia sciunt?* S. Greg. lib. 4. dial. cap. 33.

§ 4. Folio 180. contendis, *quod iustorum animæ antè Christi ascensionem non in limbo detentæ, sed apud Deum cælesti gloria potitæ fuerint*, idq; ais *probare illos, qui diu ante ascensionem Christi vixerunt, Dauid ps. 31. cum Spiritū suum in manus Domini commēdat*, &c. In manus, id est, potestati Dei cōmisit se, psal. 30. B. Rex, vt SS. Hieronymus, Augustinus, &c. exponunt; cui minime se subtrahebant spiritus, qui in limbo, *non acceptis repromissionibus*, Hebr. 11. salutem exspectabant, tametsi beatitudinis gloriam non obtinuerint ante mortem Christi, de qua potius, quam de ascensione loqui debebas. Tu, qui hæc non credis, dic ad quos Dominus venerit; quando, vt in symbolo legimus, descendit ad inferos; non ad limbum, non ad purgatorium, an ad Cain, Herodem, Iudam proditorem ? Magdeburgenses tui Centu. 1. lib. 1.

cap. 10. aiunt se nescire, tu si quid scieris, me certiorem feceris. forte cum Caluinistis Christum ad subterraneum aliquem locum descendisse rotunde negabis; & inferi erunt superi. In Concordiæ libro miræ de Christi ad inferos descensu referuntur Theologorum Confessionis Augustanæ sententiæ; ipsi vero Concordistæ scribunt: *vnanimi consensu consulimus, de hac re non esse disputandum, sed quam simplicissime hunc articulum credendum & docendum esse.* Ita cum falsis dogmatibus omnem congruam responsionem sibi intercludunt, silentium consulunt; & tacebitur quod Prophetæ & Apostoli annunciant: *emisisti vinctos tuos de lacu.* Zachariæ 9. *his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit,* salutem scilicet, & redemptionem, 1. Petri 3. Scripturæ, quas tu opponis, nihil omnino ad rem faciunt; quare iam dudum S. Chrysostomus; seu alius in Scripturis apprime versatus auctor, professus est: *Quantum in meo corde est, legens legem, legens Prophetas, legens psalterium, nunquam regnum cælorum audiui, nisi in Euangelio; quia antequam Christus ianuam regni cum latrone aperiret, omnes Sanctorum animæ ad inferos deducebantur.* homil. 4. in Marcum, tomo 2, Chrysostomi.

§ 5. *Moses & Elias,* ais, *in monte cum Christo visi sunt in cælesti claritate,* Matth. 17. Marc. 9. Lucæ 9. sed clare contra 3. Euangelistas mentiris; Matthæus enim & Marcus apparuisse scribunt tantum; Lucas refert apparuisse ἐν δόξῃ, in gloria, sed cœlestem fuisse nihil scribit Lucas, tu fingis; & eadem ratione probabis Mosen adhuc in terris viuentem fuisse Sanctorum in cœlis gloria beatum; visus est enim ἐν δόξῃ, in gloria; *ita vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam, διὰ τὴν δόξαν, vultus eius quæ euacuatur.* 2. ad Corinth. 3. ita euacuata quoque est, quæcunq; fuerit Mosis in corpore seu vero seu aëreo gloria. Elias, ex SS. Patrum

Patrum veraque sententia, needum in cœlis gloriosus est. Ipsius etiam Christi gloria corporea, quam Apostoli viderunt, euacuata est; nec ante resurrectionem suam impassibilis, adeoq; nec ea, quæ Sanctorum corporum in cœlis propria est, gloria beatus fuit; ante Christum vero nullum omnino ad gloriam resurrexisse discimus ex Apostolo, à quo Christus prædicatur *primitiæ dormientium*, 1. ad Cor. 15. primogenitus ex mortuis, ad Coloss. 1. si in vna Scripturæ allegatione tot inuoluis errores; quot mihi volumina crescerent, si omnes toto libro tuo tam dense proseminatos euellere cogitarem?

§6. Quia iustos olim ante Christi mortem negamus cœlesti beatitudine fruitos esse, commotior in nos insurgis folio 176. & concludis meras fraudes atque imposturas esse, quæ ad probandam Sanctorum inuocationem ex veteri Scriptura à nobis afferuntur. Hypobrychium irrespirabile. Sanctos scire quæ apud nos agũtur, & ad cuiusq; statum & personam pertinent, probamus à maiori tam ex spiritibus iustorum in limbo olim detentis; quam ex prophetis & prophetiæ dono præditis: nam si in hac mortalitate, aut in limbo positis multa reuelauit Deus, quæ in locis distantissimis gerebantur; qua veri specie nihil eiusmodi in cœlis reuelari negabitur, vbi scientiæ suæ diuitias maiori, quam in cor hominis vnquam descenderit, copia effundit Diuina Sapientia? Item, negamus animas iustorum fuisse tunc beatas; ergone male Sanctorum inuocatio probatur ex inuocatione Angelorum? Gen. 48. Iob 5. Sed & iustos in limbo, vt non omnia, tamen aliqua Deo reuelante cognouisse non abnuimus; & confirmat illud Domini: *Abraham vidit & gauisus est*. Ioan. 8. eiusmodi reuelationis confidentia magnos illos Patriarchas Abraham, Isaac, Iacob à veteri interdum populo inuocatos esse cre-

M 2 dibile

dibile est; licet ille tam certus non fuerit vota sua sanctis illis reuelatum iri, quam certum est, fusas à nobis preces scire cœlites cum Christo regnantes.

Caput III. Vtrum Sancti in Christiana, veteri, Catholica Ecclesia sint inuocati.



PRimo Apostolorum seculo non inuocatos esse Sanctos vnius Eckij testimonio tanquam rem indubitatam relinquis; quasi vero fides Catholica ab vnius priuati Doctoris ore pendeat; sed & verba Eckij quæ folio 174. adduxisti, te mendacij arguunt; illis enim asseritur Apostolos non præcepisse Sanctorum inuocationem, ne suam post mortem gloriam quærere viderentur; nihil eos scripto, aut ore tenus de inuocatione Sanctorum tradidisse, tu ab Eckio assertum refers hoc cap. folio 181. sed mentiris. Impudentius contra ipsum Apostolum mentiris eum damnasse Angelorum inuocationem: quam tamen prohibitam esse negare ausus non es, folio 179. Diuinum seu superstitiosum cultum Angelis delatum inhibuit Paulus, vt ex Patribus ostendit Bellar. lib. 1. de Sanctis cap. 20.

§ 2. Ab Apostolis descendere Sanctorum inuocationem ex probatissima S. Augustini regula patet: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est: non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* lib. 1. contra Cresconium, cap. 33. Prouoco quotquot estis, nominate locum, aut tempus, quo tam impius, vt deliratis, error cœperit. Ex antiquissimis siquidem Patribus non errorem, sed sanctum Christianorum morem esse constat. A nobis stare veteres Patres te fugere non potuit, sed

sed maluisti impudentissimus impostor esse, quam causam tuam prodere. Mihi in promptu essent plurimorum pro nobis testimonia; sed vno verbo do sexcentos, qui in generali Chalcedonensi Concilio Act. 11. exclamant: *Flauianus post mortem viuit, Martyr oret pro nobis.* Tu septem producis, Eusebium, Irenæum, Epiphanium, Cyrillum Alexandrinum, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum. Recte mentitus es in caput tuum; hos audiamus.

§ 3. Ex Eusebio lib. 4. hist. c. 14. refertur epistola Smyrnensium; qui scribunt: Iudæi (Confessionistæ) *miseri ignorabant nos non aliquando in animum posse inducere, vt vel Christum deseramus, vel alium quempiam aliquando colamus, VT DEVM. Illum enim qui vere Dei filius est, adoramus. Martyres autē vt discipulos & imitatores Domini merito amplexamur.* Hæc vestram in nos calumniam amoliuntur; subdis, *Polycarpi cineres collegisse Christianos non ea intentione, vt illos adorarent, vel opem aut indulgentiam coram ijs quærerent*; nihil horum Scmyrnenses, sed hæc: *Nos postea ossa eius potiora lapillis pretiosis, auroq; puriora, ex cineribus selecta, eo loco reposuimus, qui illis erat decorus consentaneusq;. Vbi sane in vnum nobis aliquando coactis, Dominus præstabit vt celebrem eius martyrij diem, instar natalis festi cum exultatione & gaudio, quantum fieri potest maximo recolamus.* At hoc festum scribunt se tum ad memoriam antehac pro Christo mortuorum, tum ad futurorum martyrum præparationem instituturos; ergo non inuocationis gratia. quia inuocans martyrem non est eius memor; nec inuocatio facit ad martyris gloriam; & consequenter nec ad martyrij coronam expetendam alios inuitat. Pro nobis potius facere hæc ex Eusebio allata sentiet, quisquis sapit. Aliud testimonium ipse refers, folio 186. ex lib. 6. hist. cap. 4. de S. Potamiœna, quæ post mortem apparuit, coronamq; imposuit Basilidi; sed historiam hanc impro-

bas. en, quem testem pro te attuleris. Audi eundem clàrius, lib. 13. præparat. Euang. cap. 7. *Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt* DEI *amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaq; ipsis facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.*

§ 4. *S. Irenæus lib. 2. cap. 28. scribit suo tempore Ecclesiam non inuocasse Angelos.* ita tu; non habet hoc S. Irenæus in illo cap. vbi nulla Angelorum mentio; nec in cap. præced. vbi excludit inuocationes Angelicas hæreticorum, de cuiusmodi scribit lib. 5. cap. 19. *Alij autem ab Angelis quibusdam dicentes factum esse mundum, & substantiam eius*; vel Gentilium errorem perstringit, quos dæmonas inuocasse, vt à morbis liberarentur, refert Origenes lib. 8. contra Celsum. Verum nec loquitur S. Martyr de communibus fidelium precibus; sed de miraculorum gratia præditis, qui miracula patrabant inuocato nomine Iesu, *nec inuocationibus Angelicis, nec incantationibus, nec aliqua praua curiositate.* Esto, in miraculorum operatione non sint inuocati Angeli, ne vlla Gentilibus, aut Hæreticis, qui tunc erat, errandi præberetur occasio; an ideo conficitur nuspiam ab vllis Angelos esse inuocatos? Atqui verba consequentia satis indicant S. Irenæum loqui de Hæretica inuocatione, qualem esse, si Angeli rogentur, vt pro nobis intercedant ad Deũ, nec tu quantumuis effrons, asserueris. Patrocinium Deiparæ Virginis inuocasse Ecclesiam testatur S. Irenæus lib. 5. cap. 19. *sicut illa* (Eua) *seducta est, vt effugeret Deum; sic hæc* (Maria) *suasa est obedire Deo, vti virginis Euæ virgo Maria fieret aduocata.* audis patronam peccatorum, & filiorum Euæ, qui matris nomine designantur? Magdeburgenses tui Centu. 2. cap. 4. folio 63. hoc S. Patris dictum videri incommodum admittunt; Gallasius exclamat per id magnam

gnam Christo iniuriam inferri : quasi vero solus in eum pius sit, qui in sanctissimam ipsius parentem est impius.

§ 5. *Epiphanij hæresi 78. & 79. apertum & irrefragabile testimonium est adorationem Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum adhuc in 4. Centuria à Christianis Doctoribus tanquam idololatriam & hæresin damnatam, ijsdemq; argumentis, quibus nos vtimur impugnatam esse.* Hæc tu folio 183. Frons meretricis. S. Epiphanius irrefragabiliter loquitur de adoratione soli Deo competente; contra quam omnino vestra sunt argumenta; nugæ nugacissimæ, si contra Catholicam Sanctorum venerationem exerantur. *Neque enim* DEVS *est Maria; neque de cælo corpus habet, vt nemo in nomen huius offerat*, scribit S. Pater hær. 78. Vos perstringit, qui Deo quoque sacrificium subtrahitis. similiter S. Epiphanius hær. 79. contra Collyridianos Diuino cultu Mariam adorantes disputat: *Reuera sanctum erat corpus Mariæ; nec tamen* DEVS. Quam deuotus vero Beatissimæ Virgini S. hic Pater fuerit apparet ex homilia de eius laudibus habita: in qua Virginem alloquitur: *Quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? solo enim* DEO *excepto cunctis superior existis: natura formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cælestis ac terrena lingua minime sufficit, imo nec Angelorum.*

§ 6. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. contra Iulianum; *sanctos Martyres, neque Deos esse dicimus, neque adorare consueuimus*; non de inuocatione, sed latrica adoratione, quæ soli Deo debetur, loquitur. Præfuit is S. Leonis Rom. Pontificis nomine Chalcedonensi Synodo, quam S. Flauiani martyris intercessionem vnanimiter desiderasse § 2. retuli.

§ 7. Ambrosium citas in cap. 1. ep. ad Rom. sed commentarij illi non sunt Ambrosij; nec aliud docet, quisquis

sit auctor, quam Diuinum honorem non esse tribuendum creaturæ; S. Ambrosij do sententiam: *Habes proximos, qui Deo pro te supplicent; habes Apostolos proximos, habes Martyres:* OBSECRANDI *sunt Angeli pro nobis, quod nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam siqua habuerunt peccata lauerunt. Isti enim sunt* DEI *martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ actuumq; nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, qui ipsi infirmitatem corporis, cum vincerent, cognouerunt.* Libro de viduis.

§8. S. Chrysostomus homil. de profectu Euangelij agit contra eos, qui aliena intercessione confisi pro se ipsi orare negligerent, & circa salutem suam desides essent: loquitur potius de precibus iustorum huius vitæ, quam de Sanctis in cœlo regnantibus; de vtrisq; verissimum est, quod & in illa homil. & luculenter hom. 1. in priorem ad Thessalo. tradit: *Neque preces Sanctorum contemnamus, neque totum in eas conyciamus, tum ne pigri simus, & socordes, & temere insidijs circumueniamur, tum ne à magno lucro excidamus: sed & hortemur ad orandum, & ad manus pro nobis porrigendas; & ipsi virtutem sectemur.* Hæc præstigias tuas satis detegunt. A Christianis Imperatoribus & Regibus Cœlitum inuocatam esse opem idem S. Pater eleganter testatur hom. 66. ad populum: *Ipse qui purpura indutus est, stat Sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant. Audebis igitur quæso horum Dominum nuncupare mortuum, cuius serui vel mortui terrarum orbis regum sunt* PROTECTORES!

§9. S. Augustinum Sanctorum inuocationem approbasse tam clarum est, quam sol in meridie; & tamen adeo depuduisti, vt eum in tuam hæresin trahere non sit veritus: profers 4. loca, in quibus docemur non colendos Sanctos

sicut

ſicut Deum, vel Chriſtum omnium ſummum Mediatorem; *nec eis templa*, inquit lib. 8. de ciuitate Dei, cap. 27. *ſacerdotia ſacra & ſacrificia conſtituimus; quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus*: hæc allegas folio 184. indeq; Prædicantice confit, Sanctorum non expetendum eſſe patrocinium; item, Auguſtini tempore non fuiſſe in Martyrum memoriam, quod nunc fit, erecta templa, aut facta ſacra. De quo poſtea, nunc de inuocatione agamus. S. Cyprianum inuocat B. Auguſtinus: *Adiuuet nos orationibus ſuis.* lib. 7. de baptiſ. contra Donat. cap. 12. eundem totius Catholicæ Eccleſiæ morem eſſe teſtatur lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, & orationibus* ADIVVETVR. Et tractatu 8. in Ioannem. *Ideo quippe ad menſam non ſic Sanctos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, vt pro ijs oremus, ſed magis vt orent ipſi pro nobis, & eorum veſtigijs adhæreamus.*

§10. An non æquus tibi ſum; qui omiſſis apertiſſimis teſtimonijs aliorum Patrum; eos eligo arbitros, quos tuæ cauſæ teſtes aduocaſti? quibus addo quos cap. ſeq. folio 186. ipſe ad nos remittis vetuſtiſſimos ex Græcis Origenem, ex Latinis S. Cyprianum. verba tua ſunt: *In tertia Centuria à Chriſto nato aliqui veteres Doctores, maxime Cyprianus Carthaginenſis, & Origenes Alexandrinus inceperunt docere Sanctos in cœlo pro nobis orare*; quam doctrinam vocas ſemina Inuocationis Sanctorum: nam ſi orant, neque in genere tantum, ſed in particulari pro hoc aut illo; noſtra eos non lateant oportet; & conſequenter non minus pie, quam vitæ huius ſocij inuocari poſſunt. *Sentiunt* ſcribit de cœlitibus Origenes lib. 8. contra Celſum, *qui ſint digni fauore cœleſtis Numinis; quibus non ſolum ipſi bene volunt; verumetiam*

N dant

dant operam, vt Deum ei seruire volentibus concilient, & vna nobiscum precantur. S. Cyprianus epist. 57. *Si quis illinc nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio.*

§ 11. Nunc de templis & sacrificijs. Ais nos Sanctis litare & templa erigere. Soli Deo sacrificamus, cum memoria tamen & inuocatione Sanctorum; similiter templa, qua sacrificij locus sunt, soli Deo dicantur; eisdem vero Sancti honorantur, quatenus deputantur ad sacras Reliquias asseruandas, & vt illorum ibi interpellemus patrocinium; nec senescere sinamus memoriam. Hæc Catholica esse patet inde, quod nulla vnquam Gens aut natio fuerit inter Christianos, quorum moribus non recepta sint; qua per Tyrannos licuit. Primus Imperator Christum palam professus Constantinus Apostolorum Constantinopoli, Martyrum Hierosolymis, alias alibi ædificauit basilicas. S. Marcellam laudat B. Hieronymus epist. 16. cap. 2. *Apostolorum & martyrum basilicas secretis celebrans orationibus.* Idem de viris illustribus, templi à S. Clemente denominati tanquam vetusti meminit: *nominis eius* (S. Clementis) *memoriam vsque hodie Romæ exstructa Ecclesia custodit.* Sed ad Augustinum propero, quem ex omnibus vnum citas; ex quo & te criminatorem, & nostrum in templis exstruendis morem probabimus. *Etiam hinc nobis calumniatur Faustus* (an Iacobus Heylbronner.) *quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola conuertisse. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur; ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi DEO Martyrum sacrificemus, quamuis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis*

Sancto-

Sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, offertur DEO, *qui Martyres coronauit.* Et cum asseruisset peccatum esse si martyribus sacrificetur, subdit: *sacrificare martyribus dixi, non dixi sacrificare* DEO *in memorijs martyrum, quod frequentissimè facimus.* lib. 20. contra Faustum, cap. 21.

Caput IV. De origine Inuocationis Sanctorum.



A Platonis dæmonum tanquam minorum Deorum cultoribus exortum in Ecclesia Sanctos inuocandi morem calumniaris. Hanc fuisse Platonicorum sententiam probas ex S. Augustino, lib. 8. & 9. de ciuitate Dei, sed retices, quæ ad tuendum Catholicum Sanctorum cultum interponit; *Quæcunq; igitur adhibentur Religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam Deorum,* &c. *Nos itaque Martyres nostros nec Diuinis honoribus, nec humanis criminibus colimus.* lib. 8. de ciui. Dei, cap. 27.

§ 2. Sensim in Ecclesia proseminatam dicis inuocationem Sanctorum; *primo, quia in tertia Centuria post Christum natum aliqui veterum Doctorum, inprimis vero Cyprianus & Origenes, inceperunt tradere Sanctos in cœlo pro nobis orare: secundo, ex improbabili S. virginis & martyris Potamiænæ apparitione, apud Eusebium, lib. 6. cap. 4. tertio, miraculis ad sepulcra martyrum factis aut fictis.* Hæc aliaq; huiusmodi ab antiquissimis & sanctissimis Patribus tradita aut testata tanquam erronea ac fabulosa condemnare debet, quisquis Catholicus Heylbronnerianus esse volet; nihilominus tamen verus vetus Catholicus ex historijs Ecclesiasticis ad oculum de-

monstrabitur. Sanctos pro nobis orare non error; sed omnium Ecclesiarum testimonio roborata fides est; quam nec Lutherus simpliciter negare voluit, cuius hæc parte 2. articulo 2. Smalkaldico est professio: *Etsi Angeli in cælo pro nobis orent (sicut ipse quoque Christus facit) & Sancti in terris, & fortaßis etiam in cælis*, &c. nec miraberis assensum titubantem in Luthero, qui toties etiam indubie asserta immutauit.

§3. Cœlitum apparitiones referunt probatissimæ historiæ. Apparuisse S. Gregorio Thaumaturgo Deiparam & Euangelistam Ioannem scribit S. Gregorius Nyssenus, Magni Basilij frater. *Dum parentes B. Agnetis aßiduis pernoctationibus vigilarent, ad tumulum eius vident in medio noctis silentio exercitum Virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ cum ingenti lumine præteribant, inter quas vident Beatißimam Agnetem simili veste fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem*. hæc S. Ambro. ser. de S. Agnete. Et S. Augustinus, cap. 16. de cura pro mortuis. *Non solum beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum affectibus confessorem apparuisse Felicem, cum à Barbaris Nola oppugnaretur, audiuimus non incertis rumoribus, sed testibus certis.*

§4. Certissimos quoque de miraculis habemus testes, do ex vtraque Orientali & Occidentali Ecclesia Patres clarissimos, S. Gregorius Nazian. orat. 1. in Iulianum: *Nec magnos pugiles extimuisti Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, quibus præclari honores & festa constituta sunt, à quibus Dæmones propelluntur, & morbi curantur, quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, siue tangantur, siue honorentur; quorum vel sola sanguinis guttæ aut exigua paßionis signa idem possunt quod corpora.* S. Chrysostomus orat. cont. Gent. *Ea est sanctorum potestas, vt illorum superstitum Dæmones ne vmbras quidem aut vestes, vita autem functorum & loculos*

los quoque reformident. Et S. Ambrosius in inuentione corporum SS. Geruasij & Protasij gesta describens. l. 10. ep. 85. *Cognouistis, imo vidistis ipsi multos à Dæmonijs purgatos, plurimos etiam vbi vestem Sanctorum manibus contigerunt, ijs quibus laborabant debilitatibus absolutos. Vmbra quadam Sanctorum plerosq; sanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur, quanta indumenta super Reliquias sacratissimas, vt tactu ipso medicabilia reposcantur.* S. Augustinus lib. 22. de ciui. Dei, cap. 8. *Si miracula sanitatum ea tantummodo velim scribere, quæ* PER *hunc Martyrem gloriosissimum Stephanum facta sunt in Colonia Chalamensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri.*

Caput V. Vtrum Sanctorum inuocatio sit contra, vel præter Scripturam.

SCripturis consentaneam esse cap. 1. ostensum est; contra hic stolidissime pugnat Prædicans; primum telum quo aciem perrumpat, est; *Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies*, Matth. 4 Ergo nullus amplius recognoscat Dominum alium præter Deum. quis non videt interdici, ne seruitus Deo propria creaturæ communicetur? idem dico de adoratione quam latriã vocamus, & soli Deo conuenit; inferior vero, qua Sancti in cœlis vel in terris adhuc versantes adorantur, tantum abest vt soli Deo conueniat, vt non nisi blaspheme ei tribuatur. An solus Deus sic inuocandus est: Pater Domini Iesu Christi ora pro me apud Deum? Adoratio est quædam honoratio; *Soli Deo honor*, inquit Apostolus 1. Tim. 1. ergone tollendæ erunt ceteræ Scripturæ? *Honora patrem*: Exo. 20. *personam senis*, Leui. 19, *nimis honorificati sunt amici tui Deus*, psal. 138. Soli Deo adoratio & honor Diuinus; inferior ceteris.

 §2. Æque

§ 2. Æque imbelle est alterum telum; *Non habebis Deos alienos coram me.* Exo. 20. memineris ibidem scriptum; *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Sed quid immoror, retulisse tua argumenta est refellisse: tertium, *Inuoca me in die tribulationis.* psal. 49. quartum, *Maledictus homo, qui confidit in homine,* Ierc. 17. quintum, *quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. 10. sextum, *omne, quod non est ex fide, peccatum est,* Rom. 14. septimum, Angeli non sunt inuocandi, Apoca. 19. & 22. octauum, qui non est omnipotens, omniscius, cardiognostes, vbiq; præsens, non est inuocandus. nonum, nullus sanctus eiusmodi honores expetiuit; decimum, Christus est adorandus, psal. 64. vndecimum, vnus est Mediator; duodecimum, Christus dicit; *venite ad me,* Matth 11. O Scripturas; quin versuras, imposturas! quis tam plumbeus est, vt non aduertat hæc aut præstigias, & Scripturarum adulteria esse, vel eam etiam inuocationem, qua in terris viuentium exposcimus preces fore à Deo apostasiam? *Obsecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Dominum*; Rom. 15. Apostolo obganni; cur fratres, vt pro te orent, inuocas, obsecras? *inuoca me*; *venite ad me*, dicit Dominus; quomodo inuocas fratres, in quos non credis? cur eos mediatores adhibes? an confidis in hominibus? nec Angelos licet nobiscum versentur, & nostras necessitates melius norint quam homines, inuocare potes, nedum mortales; qui non sunt omnipotentes, vbique, &c tandem cur eos aduocatos tuos apud Deum constituis; qui hunc à te honorem nunquam expetiuerunt? Hos tu contra Apostolum hirritus cies; imo contra Deum, qui Iobi amicis imperat: *Ite ad seruum meum Iob*; *Iob seruus meus orabit pro vobis.* Iob 42.

§ 3. Præterea, cura ne Michaël Schæfer, Daniel Schrötlin, & alij qui tuo volumini se subscripserunt Magistros,

posthac

posthac tam grauiter contra apertam Scripturam delinquant; *Nec vocemini Magistri, quia Magister vester vnus est, Christus*, Matth. 23. quandoquidem nullum, quantumuis inferioris ordinis Mediatorem agnoscis, eo quod legas *vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, 1. Tim. 2. citas Scripturas plane vt diabolus, Matth. 4. *scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te:* omittit sequentia, *vt custodiant te in omnibus vijs tuis:* quia hæc diaboli argumentum euertebant; viæ enim hominis non sunt, vt per aërem in terras deuolet. Qua ratione Christus solus sit mediator statim explicat Apostolus, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; humiliore mediationis genere Mosen mediatorem ipse scribit, Galat. 3. quare tu perfectus, haud medius impostor es.

§ 4. Adoratio, quam S. Ioannes Angelo deferre voluit, vel ideo ab Angelo non recepta est, quod fuerit latrica seu Diuina; vel, quod longe verosimilius est, ex submissione seu humilitate eam repudiauit Angelus, sicut quidam nolunt audire Gratiosi, & apud Deum gratiam esse respondent; quamuis tali titulo digni & sine offensione Dei honorentur; vt intelligunt S. Gregorius, S. Anselmus & alij; quod optimum nobis argumentum præbet. prior vero expositio nihil contra nos habet: Ioannes enim maiestatem eius qui apparebat considerans, Deum esse opinabatur; ac proinde Diuinum ei cultum exhibiturus fuisset, ni Angelus se manifestasset: cuiusmodi cultum nec nos Angelis, alijsue sanctis deferimus.

§ 5. Antequam hoc caput finiam certior à te fieri cupio; an teneas Samuelem astitisse asinis Cis, quando eas inuentas cognouit; eumq; fuisse Deum cardiognostam, cum quæ Saul in corde gerebat, Deo reuelante sciuit, 1. Reg 9. quam absurdus es! Solus Deus sua virtute corda rimatur;

ipsius dono alij etiam secretissima cognoscunt: item remotissima, à quibus longissime absunt. Cur negas intellectualibus oculis, quod carnalibus concedis? cœlos & sidera intueris, an ibi es? & sanctos vis non posse cognoscere ad se emissa cordis suspiria, nisi in corde resideant. Vbiquistarum ea sint insomnia.

Caput VI. An vera sint nostrorum ad prædictas obiectiones responsa.



Vce clariora. nec eam obnubilant vapores ex male sano cerebro exhalantes: cuiusmodi sunt, adorationem & inuocationem in Scriptura eundem sensum habere; cultum Religiosum non recte diuidi in latriam & duliam. Atqui inuocatio corde aut verbis fit; adoratio flexo genu alioue reuerentiæ signo; quæ interdum non semper concurrunt. De latria & dulia parces nobis si te præterito S. Augustinum lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 1. audiamus: *Latria secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, vt pene semper, ea dicitur seruitus quæ pertinet ad colendum* DEVM. *Sed ea seruitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus seruos Dominis suis subditos esse debere, alio nomine græcè (Dulia) nominari solet.*

§ 2. Non solum Deum, sed etiam homines adorari licite, si adoratio non presse, & pro sola latria, vt nos loquimur, seu Diuino cultu sumatur, fateri te folio 195. compellunt Scripturæ: Iacob adorat fratrem Esau. Gen. 33. Dauid Saulem 1. Regum 24. Dauidem Nathan propheta, 3. Reg. 1. ex quo claret, si quis Patrum solum Deum adorandum prædicet; cum non de omni, sed strictius accepta adora-

adoratione intelligendum esse. Ais politicam adorationem hominum sine controuersia admitti, religiosam soli Deo tribui; Principem mortalem admittis adorari posse, aut sartorem aliquem consulem; sed Cornelius sine crimine non poterat adorare S. Petrum Apostolorum principem, folio 191. & Angelum adorare nefas est; folio 190. 196. 251. At Iosue adorauit Angelum, Iosue 5. Dei filium contendis adorasse. Non Dominum, sed principem exercitus Domini, se esse dixerat Angelus; hunc adorauit Iosue.

Caput VII. An Sanctis tribuatur Diuinus cultus.



Voties id inculcas à nobis fieri; toties impium sycophantam agis. *Negare*, inquis, *non possunt se colere 14. non tantum intercessores, sed in necessitatibus adiutores.* Ridicule, quasi oratione non iuuemus alios; *adiuuetis me in orationibus.* Rom. 15. nec Diuinitatis rapinam arbitratus est S. Paulus se aliosq; Apostolos appellans *Dei adiutores*, 1. Cor. 3.

§ 2. Rides, & nimis vncis naribus indulges, quod ad quædam impetranda præ ceteris vnus vel alter frequentius inuocentur; ab incarceratis S. Leonardus; pro auertenda pestilentia SS. Sebastianus & Rochus; ad medendum dentium dolori S. Apollonia. Quia sæpius aliquorum experti sumus opem, ad eos sæpius redimus; cur autem Deus ad horum potius, quam aliorum inuocationem vota nostra exaudiat, non scrutamur, ne à maiestate opprimamur. *Vbique* DEVS *est, & nullo continetur vel includitur loco, verumtamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis*

potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? nam & nos nouimus Mediolani apud Memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere. Numquid non & Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena est, & tamen nusquam hic scimus fieri talia? Hæc S. Augustinus epist. 137.

Caput VIII. Vtrum soli Sancti inuocentur.

Vi olim vixerint non ex Prædicantibus recens exclusis discemus; sed potius ex veteribus Patribus & Historiographis, atque per tot secula continuata traditione. Et licet in quorundam actibus legantur quædam apocrypha; non ideo tamen etiam probata & toto passim orbe commendata reijcienda sunt. Non desunt de Christo eiusq; matre scriptæ fabulæ; sed ijs relictis tenemus, quæ Scriptura aut sacra traditio docet.

§ 2. Fol. 205. Iesuitarum Sanctum vocas eum, qui Henricum III. Galliæ regem interfecit. Sed is nec Iesuita fuit, vt tua verba multi, te non inuito, accipient; nec ab Iesuitis vnquam pro Sancto declaratus; *Parisijs fertur*, ais, *publice ab Iesuitis laudatus, vt qui alto inter Angelos loco considerat*; sed iam supra monui cum dicis, es soll / mendacij graue indicium esse. Similiter Symysta tuus Lucas Osiander in historia Ecclesiastica, folio 1105. procaciter calumniatur iuuenem, qui Anno 1594. Henrico IV. necem intentauit, fuisse Iesuitarum alumnum; & in margine: *Iesuita Regem Galliæ Henricum IV. occidere conatus est.* Te ex Gallijs spiritus mendax

mendax transportat in Angliam; in qua beatum Christi martyrem Edmundum Campianum ob malefacta iusto affectum esse supplicio, impudentissime mentiris, cur non edidisti crimen, si cuius reum nosti? Sed quid mirum vos mentiri de rebus in Anglia aut Gallia gestis; qui hoc ipso anno Iesuitas aliquot ob interfectam, cum qua peccarant puellam seuerissimas publice pœnas Monachij dedisse prodigiose, expressis puellæ eiusq; parentis nominibus, commenti estis, idque in quatuor ciuitatibus Lauingæ, Stugardiæ, Lipsiæ, & Augustæ, ementita Augustanæ vrbis epigraphe, typis euulgastis. Vbi ante hoc nouum Euangelium tanta vnquam audita est criminandi impotentia? cuius Prædicantes vel incentores, vel fautores sunt; in quos veterum Hæreticorum Genij immigrarunt; de quibus S. Hieronymus lib. 3. in Ruffinum cap. 11. *Ista machina Hæreticorum, id est magistrorum tuorum sunt, vt conuicti de perfidia ad maledicta se conferant. Sic Eustathius Antiochenus Episcopus filios, dum nescit, inuenit. Sic Athanasius Alexandrinæ vrbis Pontifex tertiam Arsenij amputauit manum; duas enim, qui mortuus prius fingebatur, viuens postea habere monstratus est. Talia & condiscipuli tui & magistri, nunc de eiusdem Ecclesiæ sacerdote*, quin de tanto sacerdotum numero *confingunt.*

ARTICVLVS DVODECIMVS.

De salutatione & psalterio B. Mariæ Virginis.



Enena quo latentius ministrantur, eo diffunduntur latius. In capitali odio serpenti antiquo est Virgo, quæ caput eius conterit, Gen. 3.

& sicut prima omnium mater mortem, ita secunda hæc Eua vitam hominibus attulit; ex cuius visceribus Iesus Christus Saluator noster carnem sumere voluit; apud quem etiam inexplicabile quot quantaq; humano generi sua intercessione beneficia impetrarit, atque etiamnum impetret. Nec enim quicquam matri negat filius, quam tam dulciter diligit, & à qua ineffabiliter diligitur. Hoc ferat generis nostri hostis? imo furit; sed compressa non-nihil rabie, amici specie insidiatur Virginis calcaneo. Benedictam, & laudibus concelebrandam prædicant Deiparam stygij satellites; in cuius venerationem & religiosam obseruantiam quibus possunt artibus odium struunt; Mariæmastiges eo perniciosiores, quo tectiores.

§ 2. Aue, gratia plena, salutauit Dei genitricem tot seculis orbis Christianus; & vocem κεχαριτωμένη hanc vim habere agnouerunt antiquissimi & Græcæ linguæ peritissimi Patres S. Ambrosius in Lucam, S. Hieronymus epist. 22. cap. 16. & alij; nec apud vllum sanctorum Doctorum inueneris, Aue gratiosa, vt speciosi isti nouatores reddunt. *Solus Christus*, inquis folio 208. *in Scriptura dicitur plenus gratia, actiue.* quid est actiue? dolum pallias. Vis, solum Christum esse fontem gratiæ, quam ipse singulis prout vult diuidat? & hoc sensu nemo Catholicus Virginem gratia plenam salutat. an negas vllum hominem ex Christi plenitudine tam copiosam recipere gratiam, vt plenus gratia, quam intra se habeat, dici queat? aduertis vocem Plenus non imputatiuam tantum, sed inhærentem designare sanctitatem: quomodo enim plenum aqua dicatur vas, nisi quia aquam in se continet? Plena omnino Beatissima Virgo est Diuinæ gratiæ flumine; quam secundum filium suum habet abundantissimam: si ministro suo Christus DEI, non solum datam reputat ceu fingit, gratiæ aquam,

quæ

quæ IN EO fit fons saliens in vitam æternam, Ioan. 4. quomodo non vberes profuderit fontes in Virginem, ex cuius sanguine prognatus, cuius vberibus nutritus est? si seruus à Scriptura commendatur Spiritu sancto plenus Acto. 7. cur plenam prædicare matrem Domini dubitabimus; & quis nisi maligno Spiritu plenus ei hanc nominis prærogatiuam, tanto seculorum tractu præscriptam obrogauerit?

§3. Dei matrem salutarunt & inuocarunt quotquot Christum nouerunt Gentes; eo deuotius, quo quisque vixit sanctius. id improbat improbus Prædicans, folio 209. *quia non videmus illam, nec illa nos.* Nec Deum vides, quem tamen semel saltem in anno, ni fallar, adoras. At non nouit illa nos? Prædicantes non nouerit tam fatuos; sicut nec filius Virginis nouit mulieres fatuas, Matth. 25. Si de deuote implorantibus Virginis subsidium loquamur; quod de S. Cassiano cecinit Christianus poëta Prudentius, ad gloriosam Dominam nostram accommodo.

Audit crede preces Virgo sanctissima cunctas,
Ratasq; reddit, quas videt probabiles.

§4. Mariam virginem corpore & anima in cœlum assumptam semper in Ecclesia pie plures tenuerunt: dubitauerint aliqui, cur vitio datur Ecclesiæ, quod melius sentientium partem veteri multorum traditione firmatam, & rationi ipsi, ac tantis filij in matrem amoribus adeo consentaneam receperit; tametsi eam sub anathemate credendam non proposuerit? Tu folio 215. seruis concessum indubie asseris, quod matri negas. Eliam & Enoch corpore & animo in cœlis viuere nihil ambigis, quod apud sanctos Patres non solum dubium, sed aperte à plerisque negatum, atque etiam falsum est. Non omnino certum est, an qui Matth. 27. scribuntur resurrexisse, assumpto

ſolum ad tempus corpore apparuerint, vel iam corporis quoque æternam gloriam adepti ſint; hoc negat S. Chryſoſtomus hom. 39. in 1. ad Corinth. & alij quidam; tu indubie aſſeris. Vnde quæſo de ceteris tam facile id credis, & Virgini quæ alios tot paraſangis poſt ſe relinquit tam durus es?

§ 5. Fugiendum erit: nam fœnum in cornu habet Prædicans, irruit in pſalterium, quod ad Virginem accommodauit S. Bonauentura; idque ſupra omnem modum horrendum eſſe exclamat, & Bonauentura audit Maleuentura. Tam de Bonauenturæ viri ſanctiſſimi pſalterio, quam de alijs Eccleſiæ precibus breue reſponſum habes: eadem interdum Deo ac ſanctis vocabula aut elogia tribui, ſed diſpari ſenſu. An non Reges dicuntur potentiſſimi, magni, &c. ſed infinite digniori modo canit B. Dauid; *Magnus eſt Dominus*; pſal. 47. &, *Dominus fortis, & potens*. pſal. 23. dixerit neſcio quis, Domina noſtra omnipotens; cur non in filio poſſit omnia mater, quod in Domino ſe poſſe confidunt famuli? *omnia poſſum in eo, qui me confortat*, ad Philip. 3. Poëtica quidam licentia Virginem in carmine appellat Deam, horrendum facinus! cuius reus quoque eſt Regius pſaltes? *Deus ſtetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat: ego dixi, Dij eſtis*. pſal. 81. Rectiſſime illud S. Hilarij ad Conſtantium Imp. vſurpamus; *ſenſus, non ſermo crimen eſt*. Quid ſacra refero? ſine crimine ſic amicas an ſcorta appellitare fas eſt Neoeuangelicis; è quorum grege vnus: At pia, quo miſeros conſolaretur amores,

Porrexit facilem commoda Diua manum.
Si tetigit & flamma fui: Quid fiet ab ira:
Si de Clementi ſtant mala tanta Dea?

Ad pellices & lupas vos adhinnite; nos caſtiſſimo amore ad Virginem ſucclamabimus; ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

§ 6. Cul-

§ 6. Cultus quem Virgini deferimus Hyperdulia dicitur; non capit Prædicans, quomodo latriam à dulia; vel ab hac Hyperduliam discernamus *cordene, an manibus, oculis, pedibus, genibus*, folio 219. quare non ocreis & calcaribus? quomodo te ab asino discernemus, qui eiusmodi ruditus edis; & vel rudimenta seu principia rationis non intelligis? quid notius, quam verba, & gestus, actusque nostros inprimis ab animo & affectu operantis pendere? Alloquitur quis virum nobilem, cui nullatenus subest; aut proprium principem, aut Deum; cuilibet dicit, Domine, eadem voce disparatissimum honorem exhibet; in primo profitetur excellentiam quandam nobilitatis, alteri se submittit tanquam proprius illius subditus; Deo vt supremo omnium rerum Domino se subijcit; qui latriæ cultus est; priores duo ad duliam ciuilem pertinent; in quibus tamen alter eminentior est priori; & eatenus quædam hyperdulia. Simili modo eisdem verbis ad Deum, Deiparam, alium cœlitum directis, minime parem eis honorem habeo; sed Deo supremum, & diuinum, cœlitibus infinita parte inferiorem; hoc aliquanto maiorem Christi matri, tanquam Dominæ & Reginæ nostræ; qui honor vera; sed excellentior quædam dulia est, & eleganter hyperdulia appellatur.

§ 7. Hyperduliam porro hyperbolicus Prædicans folio 193. insulse vertit, **dem vbermeßigen dienst**/ *supra modum*, seu, *redundantem cultum*. vt asinus ad lyram, sic vos ad sacras & Ecclesiasticas voces; cuius inscitiæ addo alterum è pluribus exemplum: folio 189. præter Scripturam, **ausserhalb der Schrifft**/ tu insipide & insidiose reddis, **vber die Schrifft**/ *supra Scripturam*: quare non infra potius, vel ad latus? ferula dignus es. Par tibi inscitia est Lucas Osiander, qui in historia sua Ecclesiastica, folio 1141. Agnum Dei vocat

hostiam consecratam: *Cum Tyberis Romæ magno cum incommodo vrbis exundaret, Pontifex Romanus Monsorium Sacristam ablegauit, vt dictis aliquot precibus præscriptis consecratam peculiaribus ceremonijs hostiam (Agnum Dei dictam) in Tyberim proijceret.* Et in margine: *Papa iubet hostiam consecratam in Tyberim proijcere.* Hostia est sacrificij materia: proprium vero nouæ legis sacrificium est vnicum, in quo corpus & sanguis Christi offeruntur; ceream Agni Dei iconem nemo sacrificat, adeoq; nec hostia est. Si tam bliteí sunt Doctores Lutherani, quid de cetera Prædicantium turba tenebimus?

§ 8. Nefanda res tibi videtur folio 212. quod Salue Regina, aliasq; preces in prima veteri Catholica Ecclesia non auditas vsurpemus; sed quas Lutherus, aut Haberman male consuit; haud dubie Corinthi, vel Thessalonicæ Apostolorum tempore in vsu fuerunt. Quotidie vos inaudita in cœlites conuitia & blasphemias inuenitis, & nobis in eis honorandis non liceat quicquam meditari. Æmulamur sanctos vere Catholicos Patres, qui nobis sermones & preces affectu & pietate in Virginem plenissimas reliquerunt. Libet referre vnum, cuius sanctitas toto orbe celebrata; cuius scripta in Orientalibus Ecclesijs publice tanquam hagiographa lectitata sunt; S. Ephræm dico, qui 1200 abhinc annis Dei matrem sic inuocauit: *Inuiolata, integra planéq; pura ac casta Virgo* DEI *genitrix Maria, Regina omnium, spes desperantium, domina nostra gloriosissima, eadémq; optima ac præcellentissima; sublimior cælitibus, candidior solis radijs atque fulgoribus, honoratior Cherubim, & multis oculis claris spiritibus perspicacior, sanctior Seraphim, & incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior. Vnica spes Patrum, gloria Prophetarum, præconium Apostolorum, honor Martyrum, lætitia Sanctorum. Non nobis est alia quam in te fiducia ô*

Virgo

Virgo sincerissima. Ex vlnis siquidem maternis tibi, Domina nostra, dediti sumus miseri tuiq; clientes appellati. Ne igitur à maligno Satana ad inferni portas abduci nos sinas. Tu enim noster es portus ô Virgo intemerata, & præses, pia auxiliatrix. Sub tua denique tutela & protectione toti sumus. Quare ad te vnicam confugimus, crebrisq; te lacrimis, ô beatissima mater, imploramus, tibiq; procidimus, suppliciter clamantes ac deprecantes, ne dulcis filius tuus, Saluator noster & omnium vita dator, ob plurima quæ commisimus scelera è medio nos tollat, miserabilesq; animas nostras instar leonis diripiat, aut sicut ficum sterilem nos excidat. Reple deinceps os meum gratia dulcedinis tuæ ô Domina: & illumina mihi mentem ô gratia plena. Moue linguam meam & labia ad laudes tibi alacriter lætoq; animo decantandas: & præsertim dulce illud melos Angelicum longè celebratissimum: quod Angelus Gabriel in Nazareth, seruili habitu ad te Virginem Matremq; DEI *mei integerrimam clamans cecinit: Salutationem inquam, maximè congruentem atque decentem & dignissimam mundi salutem, cunctarumq; animarum medelam atque tutelam. Dignare me seruum tuum humilem laudare te, Virgo sacrata, ac suauiter dicere. Aue præclarum & electum Vas Dei. Aue domina Maria gratiaplena. Aue inter mulieres Virgo beatissima. Aue stella lucidissima ex qua Christus processit. Aue lux splendidissima Mater & Virgo. Aue quæ admirabilem Regem omnium peperisti. Aue Regina ac Domina cunctis sublimior. Aue canticum Cherubim ac Seraphim, & hymnodia Angelorum. Aue pax, gaudium, consolatio & salus mundi. Aue humani generis lætitia.* Hos spargere volui odores, ne olfaciamus Prædicanticos fœtores.

ARTICVLVS XIII.

De veneratione imaginum sacrarum, votis, peregrinationibus, & Reliquiarum cultu.

Caput I. De votis in Sanctorum honorem editis.



QVo longius progrederis, eo amplius stultescis. toto capite impugnas eos, qui ipsis imaginibus vota faciunt: nos non ligno & lapidi, sed Deo Deiq; amicis vota nostra edimus, reddenda hoc vel illo loco sacro, sicut promisimus. Quem veterem Christianorũ morẽ esse testatur Eusebius l. 13. de præparat. Euang. cap. 7. De magno & Catholico Imperatore Theodosio refert Socrates lib. 7. cap. 46. *Eudociam coniugem Hierosolymam misit. Quippe pollicitus erat illam hoc votum persoluturam, si filiam in matrimonio collocatam cerneret. Quin illa ipsa & Ecclesias Hierosolymorum & omnes alias in vrbibus versus Orientem sitas, tum eo proficiscendo, tum domum redeundo varijs ornamentis honorifice illustrauit.* Optime B. Theodoretus lib. 8. de curati. Græcarum affectio. *Martyrum templa conspicua cernuntur magnitudineq́; præstantia, omni præterea ornatus genere variata, splendorémq́; quodammodo pulchritudinis suæ late fundentia. Neque vero hæc per annum semel, aut bis, aut quinquies aduentamus, sed in eis sæpenumero dies festos peragimus: sæpe diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes hymnosq́; cantamus. Quique homines prospera sunt valetudine, conseruari eam sibi A* MARTYRIBVS *petunt: qui vero ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri & mulieres dari sibi*

filios petunt, qui vero parentes sunt, integra sibi & propria custodiri, quæ consecuti sunt dona. Item qui peregre aliquo proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in via, vel potius itineris duces; qui vero iam sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non qui se ad DEOS *accedere arbitrentur, sed qui orent* DEI *Martyres tanquam diuinos homines,* INTERCESSORESQVE *sibi eos apud Deum aduocent ac precentur. Piè vero fideliterq; precatos eos maximè consequi quæ desiderant, testantur illa quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij vero pedum, alij porro manuum simulacra suspendunt argento auróq; confecta. Gratissime namque accipit eorum dominus, qualiacunq; sunt dona, nec exigua nec vilia dedignatur, quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium spectaculo exporrecta, testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitatē consecutis allata: hæc inquam, sepultorum ibi Martyrum quæ sit virtus ostendunt.* Ex Occidentali Ecclesia testis prodeat S. Augustinus, qui epist. 137. refert quid duobus inter se litigantibus suaserit: *Elegi aliquid medium, vt certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos, vbi terribiliora opera* DEI *non sanam cuiusq; conscientiam multo facilius aperirent, & ad confessionem vel pœna vel timore compellerent. Vbiq; quidem* DEVS *est, & nullo continetur vel concluditur loco, qui condidit omnia, & cum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet. Veruntamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant?*

Caput II. De Peregrinationibus.

IN veteri lege ter Hierosolymam adire debebant Iudæi, Deut. 6. quo Christus ipse & beatissima eius mater peregrinati sunt. Lucæ 2. Sub lege Euangelica ad loca Religiosiora insigni pietate adire consueuerunt semper Christiani: vt testificantur veteres Patres; S. Chrysostomus in psal. 115. *contemplare ciuitates ad martyrum sepulcra concurrentes*, & hom. 26. in 2. Corinth. *Ad sepulcra Apostolorum magnus concursus.* Nec vnquam ab yllo sanctorum Patrum hic Christianorum mos reprehensus tanquam sacris litteris contrarius, sed mirifice potius commendatus est. Sanctas Maranam & Cyram laudat B. Theodoretus cap. 29. historiæ SS. Patrum; *Cum aliquando desiderassent salutarium Christi passionum sancta loca contemplari, venerunt Æliam, cum in via nihil cibi sumpsissent, Sed postquam in illam vrbem venerunt & adorationem impleuerunt, cibum sumpserunt, & reuersæ sunt rursus à ieiunis confecto itinere. Est autem iter non pauciorum quam viginti dierum. Quin etiam cum victoria insignis Theclæ cupiissent videre ædem, quæ est in Isauria, vt dilectionis in Deum flammam vndiquaque accenderent, sic profectæ sunt & reuersæ sunt ieiunæ. Tantum eas diuinum amatorium fecit diuino quodam furore debacchari,* Ecce Patres, & Ecclesiarum praxin.

§ 2. Ex omnibus vnum profers Hieronymum, de quo scribis; *cum in peregrinationibus magis magisq. cresceret superstitio, S. Hieronymus, tametsi ipsemet in terram sanctam profectus esset, valide & bonis argumentis se opposuit.* an argumentis improbat, quod opere probarat? absit, sed ne ideo sanctior haberetur, quia in terra sancta habitaret; & vt Paulinus Monachus desiderium viuendi in vrbe populosissima ne conci-

conciperet, nonnulla contra Hierosolymam ciuitatem, quæ tu affers, scribit epistola 13. peregrinandi consuetudinem minime reprehendit, quam à clero populoq; Christiano receptam commendat; quare cum Paulino vrbem dissuaderet, subdit: *Quod loquor, non de Episcopis, non de presbyteris, non de clericis loquor, quorum aliud officium est, sed de monacho. De toto huc orbe concurritur, plena est ciuitas uniuersi generis hominum, & tanta vtriusq; sexus constipatio, vt quod alibi ex parte fugiebas, hic totum sustinere cogaris.* Quæ consequentia? suadetur vita solitariam professo, vt populi turbas vitet: ergo validis argumentis conuellitur ad loca sancta peregrinatio; & ab eo, qui relicto Occidente in alterum quasi orbem peregrinatus sacram Christi natiuitate Bethlehemiticam speluncam incoluit. Adhuc apertior tua fit impostura. In verbis sancti Doctoris cur foueam facis? cur hæc ad rem valde pertinentia transuolas? *Neque vero hoc dicens memetipsum inconstantiæ redarguo, damnoq; quod facio; vt frustra videar, ad exemplum Abraham, & meos, & patriam reliquisse.* His priora & posteriora ad longum describis; media nequiter dissimulas. S. Paulæ in visitandis sacris locis religionem miris laudibus noster Hieronymus commendat, epist. 27. ad Eustochium. *Si cuncta,* incipit, *corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent; nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem.* cap. 1. *Cuncta loca tanto ardore ac studio circumiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci, prostrataq; ante crucem, quasi pendentem dominum cerneret adorabat. Ingressa sepulcrum resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amouerat Angelus: & ipsum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fideli ore lambebat. Quid ibi lacrimarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Hierosolyma, testis est ipse Dominus, quem rogabat.* cap. 3.

 §3. Quæ

§3. Quæ ex Scripturis contra tam inueteratam Christianorum consuetudinem profers; plane ἀπροσδιόνυσα & à scopo aliena sunt. Christus, inquis, prohibuit peregrinationes Matth. 24. *Si quis vobis dixerit; Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Hoc Christus cauit, ne ab Ecclesia toto orbe diffusa quis ad Hæreticorum latibula, plane arida, & nulla morum sanctitate irrigua secedat. *Si Christi Ecclesia canonicarum Scripturarum diuinis & certissimis testimonijs in omnibus gentibus designata est, quidquid attulerint, & vndecunque recitauerint, qui dicunt; Ecce hic Christus, ecce illic: audiamus potius, si oues eius sumus, vocem Pastoris nostri dicentis; nolite credere. Illa quippe singula in multis gentibus, vbi ista est, non inueniuntur, hæc autem, quæ vbique est, etiam vbi illa sunt inuenitur.* S. Augustinus cap. 3. de vnitate Ecclesiæ.

Caput III. De Imaginibus.



Ibi eadem sunt imago, & idolum. eadem veterum Iconomachorum fuit insania; in Generali VII. Synodo anathematizata. Christus est imago Dei. 2. Corinth. 4. adeoque Christum adorantes Dei adorant imaginem; tunc Dei filium patris idolum, & filium adorantes vocabis idololatras? Homo quoque Dei imago est; exceptis Prædicantibus, qui sudes, statuæ, & idola sunt: nihil ad nos quæ contra idola garris.

Caput IV. De oblationibus, & cultu imaginum.

De



DE oblationibus sat dictum cap. 1. Scripturæ, quibus idola falsorumq; Deorum simulacra vetantur, *probatam apud nos imaginum venerationem non conuellunt, sed Gentium eas vt Deos colentium consuetudinem redarguunt. non oportet propter absurdum Gentium morem pium Ecclesiæ institutum auferre.* S. Damascenus orat. 2. de imagi. Apostoli, vt à Christianis Saluatoris imago haberetur, sanxerunt in Antiochena Synodo, quam Magdeburgensibus obiecit aduersus eos scribens Turrianus lib. 1. cap. 25. de tali imagine Apostolum ad Galatas 3. non nemo ex Patribus exponit. Apostoli verba sunt: *ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est*, seu depictus. Eundem Christianorum morem testantur S. Basilius contra Iulianum, & frater eius S. Gregorius Nyssenus, de laudibus S. Theodori, S. Damasus in Pontifi. de S. Siluestro, S. Paulinus epist. 12. &c. Deus ipse plurimis probauit miraculis, quibus omnibus fidem nemo Christianus abrogarit. Hæretici sunt, qui plus auctoritatis Tacito, Salustio, aut poëtis Virgilio, Silio &c. tribuunt, quam Christianis Doctoribus. Ex basi æneæ statuæ Christi, quam ab eo sanata hæmorrhoissa erexerat, enatam esse herbam omnis generis morbis salutarem referunt Eusebius lib. 7. hist. cap. 14. Sozomenus lib. 5. cap. 20. & alij. Imaginem S. Stephani Vzalensibus ciuibus ab Angelo delatam testatur Euodius illorum Episcopus lib. 2. de miraculis S. Stephani, cap. 4. cuius Euodij fidem commendat S. Augustinus ser. 32. & 33. de diuersis, & lib. 22. de ciui. Dei, cap. 8.

§ 2. Crucis signum seu imaginem terribilem esse dæmonibus apud SS. Patres testatissimum est. *Nam sicut ipse Christus,* ait Lactantius lib. 4. cap. 17. *cum inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, ita nunc Sectatores eius eos-*

dem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine Magistri sui, & signo passionis excludunt.

§ 3. Res sacras & veneratione dignas haberi ob relationem quandam ad Deum ex Scripturis perspicuum est. *Locus in quo stas, terra sancta est.* Exo. 3. Scriptura sacra dicitur, non præcise qua atramento consignata est; sed quia Diuina mysteria significat. Atqui & imago rei sacræ signum est. Ad nomen Iesu voce prolatum genu flectitur, caput nudatur; eaque reuerentia etiam à Lutheranis exhibetur. Si naturam vocis absolute consideres, ea imperfectior est ligno aut lapide; nec ad illam, qua sonus quidam in aëre est, deponis pileum, sed eum quem vox significat honoras. eadem omnino est imaginis conditio; quod intelligere incipiunt Caluinistæ, qui vt Christi imaginem, ita & eius sacratissimum nomen nullo dignantur honore. Quod expertus nobilis & clarissimus vir Godefridus à Driel Canonici Iuris Moguntiæ Professor, qui in thesibus hoc anno, mense Iunio editis scribit: *Vidi quoque aliud admirandum Heidelbergæ anno proximè præterito: nimirum vos Caluinistas ad auditum nomen vestri Principis, capita aperire, dexteram osculari, toto corpore assurgere, rectósque aliquantisper consistere. Et rectè. at ad auditum sanctissimum illud* DEI *ac Domini nostri nomen, quod est super omne nomen,* IESVS *vt truncos, vt Asinos, vt atheos, nulla prorsus exhibita reuerentia, ne politica quidem, consedere.*

§ 4. Hæc illi plane vestris fundamentis nixi. nam si vocem & pictam in tabula imaginem materialiter seu secundum substantiam comparemus; res quædam nobilior est pictura quam vox, si vtraque quatenus Christi v. g. repræsentatiua est conferatur, idem significant; melius & expressius pictura quam vox:

Segnius irritant animos demissa per aures:

Quam

Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus.

pictura quoque omnibus qui Christum norunt Christi memoriam reducit; vox non nisi idioma seu linguam hanc vel illam intelligentibus. Si ergo ad vocis auditum recte honoratur, qui illa designatur, quare non ad imaginis conspectum? Profecto, vt Caluinistæ absurdi sunt honorando sui principis, non autem Christi nomen, ita Confessionistæ impie & insipienter Regum & Principum statuas; parentum, coniugum, liberorum imagines venerantur, exosculantur, vlnis fouent; quod si ad honorandam osculo Saluatoris, Deiparæ, S. Petri, &c imaginem inuitentur; ad sputa & ructus, quam basia promptiores sunt.

§ 5. Ais idolorum cultum esse fontem omnium scelerum, folio 242. quid ad nos idola? imaginum vsus ac veneratio omnis honestatis mater est. Vos Venus, adulter Iupiter, aut ex Æsopo pictæ fabulæ exstimulabunt ad virtutem; vires scilicet exsaturandæ libidini addent. Sacra ad sancta vocant. Casti Polemonis imaginem intuita quondam mulier scortum turpes amores detestari cœpit, vt S. Gregorius Nazianzenus testatur. Et hic insignis sacrarum imaginum fructus est. Incredibile enim, quanta ad bonum aut malum oculorum vis sit; his siquidem percepta & facile animum commouent; ac non facile è memoria excidunt. Profecto si sacræ abolerentur imagines, à multis Christianis, qui non norũt legere; pauca de rebus sacris audiunt; Christi Saluatoris nostri natiuitas, acta vita, passio, mors, resurrectio vix vnquam cogitaretur, vel etiam nesciretur.

§ 6. Ex antiquis Patribus qui ante 1000. & plures annos floruerint, nullos profetre ausus es, præter paucos quosdam Elibertini Concilij, qui pro nobis sunt. prohibuerunt

runt enim tantum, ne imagines in templi parietibus depingerentur; ideo forte, ne à Gentilibus, quorum tunc multi, aut defluentibus parietum crustis aliaue ex causa deformarentur: quare adhuc hodie in Hispania, vbi Synodus illa habita est, templa plurima tabulis & statuis sacris instructa, raræ in parietibus picturæ visuntur; sicut testantur, qui ibidem fuerunt. Nam Gentilium aut Hæreticorum furori facile tabula subtrahitur; non autem in pariete hærens pictura. S. Irenæum, & S. Epiphanium ipse aduertis damnare Hæreticos, qui Christi effigiem cum Platonis aliorumq; Philosophorum imaginibus superstitiose colebant.

§ 7. Aliqui Imperatores, ais folio 244. vt Philippicus, Leo Isaurus, filius eius Constantinus Copronymus imagines exterminarunt. Monstra hominum erant, spurcissimi, & vel nomen Copronymi fœtet. Vtique non vos primi estis imaginum hostes; odit illas semper odio implacabili diabolus. Ab Auctore quæstionum ad Antiochum, quæst. 39. & in Prato spirituali Ioannis Moschi, cap. 45. atque in Nicæna II. Oecumenica Synodo refertur apparuisse cuidam dæmonem pollicitum ab eo tentando desiturum, si ille ante B. Virgini imaginem precari desineret. A dæmone persuasus Xenaias, à scelesto Petro Gnaphæo prius Episcopus creatus, quam baptizatus, docuit imagines non esse venerandas, Nicephorus lib. 16. cap. 27. Sed non audierunt eum oues Christi; & sopita iacuit hæresis, donec non prædicatione, sed impijssimorum Imperatorum tyrannide reuiuisceret. Pro imaginibus sunt Constantinus, Theodosius, & alij antiquissimi ac religiosissimi Imperatores; tuus sit Philippicus Monothelita, quem tanquam amicum suo fauore ad Imperium peruenisse ex puella arreptitia proclamauit diabolus, diu regnare non permi-

permisit Deus impium; sed post sesquiannum excæcatus in exilium eiectus est, anno Christi DCCXIII. Crudelissimus Leo Isaurus à Iudæis veneficis incitatus contra sacras imagines arma sumpsit. Copronymus infandæ libidinis, Christum neque Deum, neque ex Virgine natum credebat; moriturus clamabat; viuens adhuc igni sum inextinguibili traditus; & sero nimis Dei Genitricem laudari expetijt, de his Theophanes, Cedrenus, & alij Historici. Attendite, Illustrissimi Principes, cuiusmodi belluarum vos imitatores esse instituant Prædicantes.

§ 8. Tuis Imperatoribus dæmonum ministris minime annumerandus est Carolus Magnus, qui singulari semper amore prosecutus est Adrianum Pontificem, à quo anathemate percussi sunt Iconomachi; & pseudepigraphi sunt libri, à nescio quo Eli. Phili. sub Caroli nomine annis abhinc 58. editi, tametsi Caroli tempore conscripti videantur, & forte alicuius conciliabuli Francofordiensis Acta sint; legitima Francofordiensis Synodus ab Adriano confirmata nihil contra sacras imagines constituit.

Caput V. Examinantur responsa Romanæ Ecclesiæ.



Bnuimus nos ipsas imagines sine relatione ad prototypon colere. Tu etiam in idolis contendis idololatras adorasse verum Deum; quod à te generatim assertum aperte Scripturis aduersatur, psal. 113. Isa. 46. Baruch. 6. Sapient. 13. quidam vero non aurum & lapides, sed diuinos quosdam Spiritus in idolis, quæ eis sacrabantur, tanquam proprijs corporibus assistentes colebant; S. Chrysostomus hom. 20. in 1. Cor.

S. Augustinus lib. 8. de ciuitate Dei, cap. 23. nonnulli in idolis dæmones adorabant, Deut. 32. 1. Corinth. 10. alij mundum, solem, alias mundi partes; aut è defunctis vnum, aliudue Numen idolo simile; qui verum Deum in idolo venerabantur paucissimi, errabant, quia eum corporeum, & ad idoli figuram concipiebant; vel idolo vim quandam ad Dei cognitionem consequendam, aliamue diuiniorem superstitiose adscribebant. Lactan. lib. 2. Instit. cap. 2. S. Athanasius orat contra idola. S. August. in psal. 40. & 113. & per se credibile est, eos quibus ignotum erat SS. Trinitatis mysterium, Deum effigiando facile quid erroris admiscuisse; quibuscum erroribus nihil nobis commune est.

§ 2. Cultus, quem cruci & imagini Christi exhibemus, latria dicitur, non absoluta, sed respectiua. Hoc Prædicanti videtur inextricabile naufragium. An qui Regem adorat, cultum disparat, & non vno actu in animam, corpus, purpuram Regis tendit; ita tamen vt Rex per se, purpura cum rege adoretur? Hinc S. Ambrosius lib 5. hexameron cap. 2. quia purpuras mari debemus; *aquarum est*, inquit, *quod in Regibus adoratur*. Tantum vero abest, vt ea quæ per latriam solum coadoramus, pro Deo habeamus, vt hoc ipso cultu testemur non esse Deum, in quem præcipue & absolute, non secundario & respectiue dirigenda est adoratio. Qui ad sceptrum se inclinat, purpuram osculatur, ea tanquam aliquid Regis, seu Regio cultu honorat; quibus tamen Regi propriam Maiestatem minime tribuit. Ceterum vnum esse motum in imaginem & rem significatam agnouit quoque Aristoteles solius naturæ ductu; quod Prædicantes ideo non capiunt, quia fatentur se contra rationem agere, folio 41. tu rides, quod Aristoteles in testem veniat Crucis Christi nescius. facilius ridere potes, quam sapere. si generatim verum est, & ex naturæ lumi-

lumine constat nos vno actu in effigiem & rem effigiatam ferri, id verum erit de cuiusque etiam post plura secula nasci turi imagine; nam in pronunciato vniuersali comprehenduntur quæuis singularia, licet nec visa, nec audita vnquam fuerint. Sed tædet me hoc docere tam senem puerum.

§ 3. Cardinalis Bellarmini sententia est, imagines sicut in se, & vere habent prototypi similitudinem, ob hanc, & quia Diuino cultui dedicatæ sunt, secundum se vere ac proprie veneratione dignas esse, quam habes conuitij materiam? sancta religiose tractanda sunt. nemo scyphos aureos aut kimelia in stabulo reponit, sed digniorem eis locum destinat; nec vasa aut alia sacra tanquam prophana habenda sunt. Honoranda esse crucem in qua Christus pependit, clauos quibus suffixus, spinas eius capiti infixas ipsemet fateris folio 255. hæc contactu carnis Dominicæ, alia repræsentatione rei sacræ, aut peculiari benedictione constituta sunt sacra; veneranda vtraq;.

§ 4. Monet D. Pistorius non tam verba, quam sensum Scripturæ attendendum esse; insultas folio 253. petulanter Ecclesiæ; & Deum præcepisse ais vt *stricte & præcise littera scruetur.* ad litteram ergo exequimini illud Matth. 10. *Quod in aure auditis, prædicate super tecta* relictis cathedris domos conscendite. *Nulla vox Diuina*, inquit etiam antiquissimus Tertullianus cap. 9. de præscript. *ita dissoluta est, & diffusa, vt verba tantum defendantur, & ratio verborum non constituatur,* Eleganter S. Hieronymus in cap. 1. epist. ad Galatas: *Non putemus in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla; non in sermonum folijs, sed in radice rationis.*

Caput VI. De Reliquijs.



Curram agis non Theologum. Fuerint aliquæ Reliquiæ fictæ; quædam etiam olim circumferebantur Apostolorum nomine scripta Apocrypha; sicut ob hæc ergo non repudiamus veras Scripturas, ita nec ob illas certæ spernendæ sunt Reliquiæ; quas sacras esse constat; tametsi huius an alterius Sancti cineres sint, incertum sit. Nec certas Reliquias, vt à nobis fit, venerandas esse probas folio 258. Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ergo contra Dei ordinationem defunctorum corpora distrahuntur, & inuoluuntur. Quid non sculpitis ex Scriptura? Tam parum præcepti inest his verbis; quam immediate præcedentibus; *comedes herbam terræ.* Sed præcepto quod fingis adde priore cap. traditam à te regulam; ipsa verba *stricte & præcise* seruanda esse; ac proinde hanc legem præuaricantur, quibus, cum panem edunt, in vultu non decurrit sudor; item præceptum dabitur ipsis mortuis, vt in terram & puluerem dissoluantur; & Dei ordinationi resistunt magistratus, qui fures ac latrones non terræ reddunt, sed volucribus cœli discerpendos exponunt. eidem ordinationi contraibunt Principes, qui suos mortuos balsamo & vnguentis condiunt, & in seros annos à corruptione præseruant: quod & Iacob patri suo præstitit Ioseph Patriarcha, Gen. 50.

§ 2. Ciuili quoque iure ais sancitum esse ne corpora diuidantur. *Nemo Martyres distrahat, aut mercetur.* C. de sacrosanctis Ecclesijs. Mirum, si à Iurisperitis non suprema tibi decernatur laurea, ob tantum legum interpretandi scien-

scientiam; distrahere minime est hîc in partes distribuere; sed, vendere. Reliquias ergo vendere & emere prohibuerunt Honorius & Theodosius Impp. quia sacra vendere simonia est. Tu ne prius Iurisperitus esse velis, quam Grammaticus.

Caput VII. De cultu Reliquiarum.

SAnctorum cineres, ossa & Reliquias semper veneratos esse Christianos certissimo constat. Lapidato Protomartyre Stephano Christianorum primitiæ *fecerunt planctum magnum super eum.* Act. 8. *vtique planctus magnus non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris & exequiarum frequentia intelligendus.* S. Hieronymus ep. 25. Quantis honoribus Martyrum Reliquias sub Imperatoribus Gentilibus prosecuti sint; patet ex Gentilium persuasione, qua credebant Martyres adorari tanquam Deos, aut semideos: quam adorationem negant, si qui Reliquias adorandas negant. sed quod ad Sanctorum sepulcra nos prosternamus, eorum intercessionem imploremus, sacra pignora piè exosculemur, & pretiosis thecis asseruemus, nullus Patrum culpat. Vigilantij ea hæresis est, iam ante 1200. annos vniuersæ Ecclesiæ calculo condemnata; hunc antiquum hæresiarcham tu causæ tuæ patronum laudare non erubuisti folio 262. ex Patribus nullum profers nisi S. Augustinum, S. Hieronymum, S. Cyrillum, & Eusebium. Sed ea ipsa loca quæ citas pro nobis sunt; & alia quæ omittis, te tuosque impietatis apertissime conuincunt.

§ 2. Eusebij verba non mutila, sed integra reddidi art. 11. cap. 3. § 3. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. contra Iulianum scribit; *Defunctorum reliquias viderit quispiam non nudas,*

& negligenter in terram proiectas; sed bene compositas. Occultata enim quodammodo sunt in sinu matris, in profundis terræ. Quid infers? Reliquiæ sunt bene in sepulcris compositæ, ergo non sunt venerandæ. Christianorum morem ex eodem folio apud S. Cyrillum discere poteras; ijs enim obijcit Iulianus Apostata: *Omnia monumenta implestis, quanquam vobiscum nunquam dictum sit,* ADVOLVI *sepulcris, & ea amplecti* (venerari) *debere: Quare* ADVOLVIMINI *sepulcris?* neque vllo verbo id fieri negat Cyrillus. Ex S. Augustino lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 13. refers ista: *Non contemnenda aut abijcienda sunt corpora defunctorum, maximeq́, iustorum atq́, fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus, &c. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa: ipsiq́, dum viuerent de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filijs mandauerunt.* Habes duas causas honorandi sacros cineres: vna est, quia is honor transit ad ipsos Sanctos; quare adhuc superstites quid de corporibus suis post mortem fieret, cogitarunt; nec de ijs tanquam ad se nihil amplius pertinentibus omnē curam abiecerunt. Altera causa, quia Sanctorum corpora sunt Spiritus sancti organa; adde ex Apostolo 1. Cor 3. & templa; tertia causa redditur in verbis, quæ tu media omisisti; quia id debita tantis Dei nostrisq; amicis caritas suadet: *Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora.* Hæc ibi S. Augustinus. Causam quartam fides & spes resurrectionis suppeditant; quomodo enim non exosculer ossa, quæ in æternum cum Christo futura credo? *Honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viuentis memoriam perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineri-*

bus

bus semina æternitatis, honoro corpus, quod mihi ostendit Dominum diligere. S. Ambrosius orat. de SS. Nazario & Celso.

§ 3. S. Hieronymus aduersus Vigilantium scribens negat nos Martyrum Reliquias adorare, diuino scilicet cultu; sacram venerationem apertissime testatur: *Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, & Martyrum neget sepulcra veneranda.* Et: *Quis enim, ô insanum caput, aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? Audes dicere: illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis. quid est illud, nescio quid? scire desidero, expone manifestius, vt tota libertate blasphemes. Puluisculum, inquit, nescio quod in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum. Dolet Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est, & nunc Augustus Arcadius, qui ossa Beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico & vase aureo portauerunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt Sanctis reliquijs, & tanta lætitia, quasi præsentem viuentémq; prophetam cernerent, susceperunt: vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungeretur populorum examina, vt in Christi laudem vna voce resonarent?* Idem profitentur S. Hieronymi spiritualiter filiæ Paula & Eustochium, epist. ad Marcellam: *Martyrum vbique sepulcra veneramur, & Sanctorum fauillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus.*

§ 4. Reliquiarum cultum sibi placere Deus innumerabi-

libus miraculis demonstrauit. Ipsi tanquam supremæ causæ accepta referuntur, quæ ad sacras tumbas & sanctorum inuocationem impetrantur beneficia: Dei latria est, non σκελετολατρεία, vt tu, nec Grammaticæ Graiæ doctus, criminaris. Horum miraculorum testes maximos Patres attuli art. 11. cap. 4. § 3. quia tu de eisdem egeras; hic in particulari quædam referam; amplissima testimonia non tantum prisci & ad nos vsque deriuati in colendis sacris lipsanis moris, sed & inuocatorum cœlitum, & aliorum quorundam Catholicorum dogmatum.

§ 5. Ad sepulcra Sanctorum frequentissimum est miraculorum genus, dæmonum ab obsessis expulsio; quam à digito Dei fieri, nec diabolo attribui posse confirmat Christus Lucæ 11. Nunc audiamus S. Chrysostomum, qui & honorem sepulcris habitum, & virtutem fusarum apud illa precum contra tenebrarum principes luculenter testatur hom. 66. ad Antioche. populum. sepulcra Apostolorum & Martyrum longe celebratiora esse ait, quam potentissimorum Imperatorum & Regum: *seruorum crucifixi sepulcra regijs aulis sunt clariora, non magnitudine & ædificiorum pulchritudine (nam & in hoc quidem superant) sed quod multo maius est, conuenientium studio. Et hic quidem regnans alicui subiecto præcipit, vt hunc quidem soluat, illum vero liget, sanctorum autem ossa non habent miserabilem & abiectam hanc potestatem, sed illa multo maiorem. Dæmones enim sistunt & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis. Quid hoc foro magis reuerendum, cum videatur nemo, nemo Dæmonis instet lateribus, voces sentiuntur & lacerationes, flagella tormentáq; ac linguæ ardentes, terribilem illam vim Dæmone non ferente? Et corpus induti incorporeas opprimunt potestates. Et cinis & ossa & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant. Itaque quo regias quidem aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuerit; multi vero reges ple-*
rumq;

rumq. huius spectaculi gratia peregrinati sunt. Futuri namq. iudicij vestigia & signa Sanctorum ædes exhibent; vbi Dæmones flagellantur, corriguntur homines; & liberantur. Vidisti vel mortuorum hominum virtutem? Eadem S. Ambrosius ser. 93. de SS. Geruasio & Protasio: *Et nunc audistis clamantes Dæmones & confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non possint, & dicentes: quid venistis, vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Ariani dicunt. Non sunt isti Martyres, nec torquere diabolum possunt; nec aliquem liberare, cum tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia Martyrum remedijs cæcorum & absolutorum indicijs declarentur. Dicebat diabolus, vt scriptum legimus: Scio te quis sis. Tu es filius* DEI *viui. Dicebant Iudæi: Nescimus quis sis. Dicebant hodie & superiore die vel nocte Dæmones: scimus quia Martyres estis: Et Ariani dicunt: nescimus; nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt Dæmones Martyribus: venistis perdere nos; Ariani dicunt: non sunt Dæmonum vera tormenta, sed ficta & composita ludibria. Audiui multa componi, & nemo vnquam fingere potuit, vt dæmoniacum se esse simularet.*

§ 6. Sunt quos dæmon spiritualiter obsidet; magni scilicet peccatores; & præcipue infideles, atque Hæretici. Sancti vero quorum Reliquiæ pie coluntur, & auxilio sunt ijs, qui in eradicandis infidelitatis zizanijs laborant; & non raro errantes in veritatis viam reuocant. Hinc illud implacabile Dæmonum contra cœlites bellum. B. Theodoretus Cyri Episcopus in historia SS. Patrum cap. 21. describens res gestas à Iacobo viro sanctissimo, qui etiam mortuum suscitarat, de se ipse hæc refert. *Execrandus Marcio multas spinas impietatis seminauit in regione vrbis Cyri. Eas cum conarer euellere radicitus, omnem laborem subibam, & omnibus machinis assidue vtebar. Et noctu venit quidam Dæmon exitialis clamans & lingua vtens Syriaca. Cur tu bellum geris cum Marcione? cur hanc pugnam aduersus eum suscipis? quanam is te*

 vnquam

unquam affecit molestia? Desine belligerare, desiste à maleuolentia: aut disces experientia quantum bonum sit quies. Scias quod te iam pridem confodissem, nisi chorum Martyrum te custodientem vidissem cum Iacobo. Hac ego audiui, & dixi cuidam ex familiaribus, qui prope me dormiebat; audis, inquam, qua dicuntur? Ille vero, omnia audiui, inquit; & cum vellem surgere, & respicere, & scire, quis loqueretur, tua causa quieui, cum te putarem quiescere. Ambo itaque surgentes respeximus, neque vllum qui moneretur vidimus, nec qui loqueretur audiuimus. Illa verba alij quoq; qui nobiscum habitabant, audiuerunt. Intellexi igitur quod Martyrum quidem chorum dicebat lecythum olei Martyrum, qui cum à multis Martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat à meo lecto, sub meo autem capite erat magni Iacobi vetus amictus, qui quouis claustro adamantino fuit mihi validior. De infideli ad Christum conuerso mira S Augustinus lib 22. de ciuitate, cap. 8. *Fuit ibi vir in ordine suo primarius, nomine Martialis, æuo iam grauis, & multum à Religione abhorrens Christiana; Habebat sanè fidelem filiam & generum eodem anno baptizatum. Qui cum eum ægrotantem multis & magnis precibus & lacrimis rogarent, vt Christianus fieret, prorsus abnuit; eosq; à se turbida indignatione remouit. Visum est genero eius, vt iret ad memoriam S. Stephani, & illic pro eo quantum posset oraret, vt DEVS illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & sinceriter ardente pietatis affectu. Deinde abscedens aliquid de altari florum, quod occurrit, tulit, eiq; cum iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est: & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur, qui mecum forte tunc erat apud Hipponem. Cum ergo audisset eum absentem, venire Presbyteros postulauit. Venerunt, & statim se credere dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus baptizatus est. Hic quamdiu vixit, in ore habebat: Christe accipe Spiritum meum; cum hæc verba beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, vltima esse*

ma esse nesciret: quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multo post etiam ipse defunctus est.

§7. Ad sanandos corporis morbos, & omnis generis mala auertenda quantum contulerint sacra lipsana infinitum foret enumerare: ab Augustino non abeo, sed ex pluribus, quæ dicto cap. scribit, nonnulla do. *Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est*, (cuius domus à dæmonibus infestabatur) *acceperat ab amico suo terram Sanctam de Hierosolymis allatam, vbi sepultus Christus die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At vbi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret cogitabat, quam diutius in cubiculo suo reuerentiæ causa habere nolebat. Forte accidit vt ego, & collega tunc meus Episcopus Synicensis Ecclesiæ Maximinus, in proximo essemus; vt veniremus rogauit, & venimus. Cúmq; nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi Orationum locus fieret, vbi etiam possent Christiani, ad celebranda quæ* DEI *sunt, congregari. Non restitimus: factum est. Erat ibi iuuenis paralyticus rusticanus, qui hoc audito, petiuit à parentibus, vt illum ad eum locum non cunctanter afferrent. Quo cum fuisset allatus, orauit, atque inde continuo pedibus suis saluus abscessit. Ad aquas Tibilitanas Episcopo afferente Proiecto* RELIQVIAS *Martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magna multitudinis concursus & occursus. Ibi cæca mulier, vt ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit; flores quos ferebat dedit: recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant præibat exultans, viam carpens, & via ducem vlterius non requirens. Memorati memoriam Martyris, quæ posita est in Castello Synicensi, quod Hipponensi coloniæ vicinum est, eiusdem loci Lucillus Episcopus populo præcedente, atque sequente portabat: fistula, cuius molestia iam diu laborauerat, & familiarissimi sui medici, qui eam secaret, operiebatur manus; illius piæ sarcinæ vectatione repente sanata est: Nam deinceps eam in*

suo corpore non inuenit. Eucharius presbyter ex Hispania, Calamæ habitans, veteri morbo calculi laborabat, per memoriam supra dicti Martyris, quam Possidius illo aduexit Episcopus, saluus factus est. Idem ipse postea morbo alio præualescente, mortuus sic iacebat, vt ei iam pollices ligarentur, OPITVLATIONE memorati Martyris, cum de memoria eius reportata fuisset, & super iacentis corpus missu ipsius presbyteri tunica, suscitatus est. Audurus, nomen est fundi, vbi Ecclesia est, & in ea memoria Stephani Martyris. Puerum quendam paruulum cum in area luderet, exorbitantes boues, qui vehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & confestim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriam posuit, & non solum reuixit, verum etiam illæsus apparuit. Sanctimonialis quædam in vicina possessione, quæ Caspaliana dicitur, cum ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata est, quæ antequam reuocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius, & recepto spiritu salua facta est. Apud Hipponem Bassus quidam Syrus, ad memoriam eiusdem Martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eóq; secum vestem eius detulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum orante illo, ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cum domum redijsset, iam suorum eiulatibus personantem, & vestem filiæ quam ferebat super eam proiecisset, reddita est vita. Rursus ibidem apud nos Irenæi cuiusdam collectarij filius ægritudine extinctus est: Cumq; corpus iaceret examine, atque à gementibus & plangentibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantium verba suggessit, vt eiusdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit.

§8. Ad hæc & similia an vere Catholica sint, responde; an in Beelzebub reuixerunt mortui? An vniuersus orbis mentitur, fallitur; vobis solis illuxit veritas, cæci & cæcorum duces? In quorum gratiam placet adhuc vnam de

cæco

cæco historiam ex eodem S. Augustino referre. *Miraculum quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit peruenire: quia & grandis est ciuitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora Martyrum Protasij & Geruasij: Quæ cum laterent & penitus nescirentur, Episcopo Ambrosio per somnium reuelata reperta sunt, vbi cæcus ille depulsis veteribus tenebris diem vidit.* Hoc tam euidens in oculis tanti populi factum an credent Hæretici? nec olim crediderunt; rem narrat à S. Augustino nominatus S. Ambrosius ser. 93. *Negant* Ariani *cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: video quæ non videbam. Ille dicit: cæcus esse desiui, & probat facto. Isti beneficium negant, quod factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequijs, Seuerus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium postquam inciderat impedimentum: vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequijs. Eos indices suæ visitationis accersit, quos habebat testes & arbitros cæcitatis: clamat quod, vt contigit fimbriam de veste Martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit. Cæcus fui & modo video. Interrogate alios si mihi non creditis, interrogate extraneos, ne astipulari mihi parentes putetis. Detestabilior istorum quam Iudæorum pertinacia. Illi cum dubitarent, vel parentes interrogabant, isti occultè interrogant, palam negant, iam non operi increduli, sed auctori. Sed quæro qui non credant, vtrum à Martyribus possint visitari, hoc est Christo non credere.*

§ 9. Fusius hæc retuli, quorum narratio & iucunda est; & ad Sectariorum nostrorum impietatem conuincendam accommodatissima. Superiore anno inertissimus quidam Episcopatus Misnensis Superattendens contra D. Virginis à V. C. Iusto Lipsio, & S. Bennonis à Monacensibus (Iesuitis addit, sed fallit) conscripta miracula edidit

disputationem, quam ad me misit Nobilis & amplissimus Augustæ Vindelicorum IIvir Marcus Velserus; in fronte disputationis hæc S. Augustini sententia inscripta est; *Plurima sunt dæmonum talia facta; quæ quanto mirabiliora confitemur, tanto cautius ea vitare debemus.* hæc quam inique & impie contra miracula per Sanctorum reliquias impetrata torqueantur, demonstrant quæ ex sanctissimo Doctore dedi. Similia à grauissimis Patribus posteritati relicta singulis seculis ad nos vsque, & hoc nostro tempore tam Deiparæ Virginis varijs locis, quam S Bennonis Monachij, aliorum alibi testatissima habemus. Quia enim Prædicantes Cœli Reginam præ ceteris cœlitibus impugnant acrius; & sedem Apostolicam tanquam Antichristi regiā criminantur; Deus miris operibus & cultum quem Virgini deferimus; & obedientiam, quam Romanæ Cathedræ (cuius tam studiosus S. Benno fuit) nos debere agnoscimus, sibi accepta & sancta esse magnifice ostentat. Aduersum quæ Superattendens Misnensis eadem plane cornicatur, quæ Neuburgensis, vt dubites vter alteri stoliditatis primas præripiat. *Doctrina* θεόπνευστος, inquit Misnensis, *expresse docet, quod inuocatio sit cultus soli Deo debitus, non hominibus. Non habebis Deos alienos. Dominum tuum adorabis. Honorem meum alteri non dabo. Esa. 42. Inuoca me. psal. 50 Non facies tibi sculptile. Exo. 20. Væ qui dicit ligno expergiscere Abacuc. 2.* Ex vngue leonem; ex thesi 4. disce ὄνον. De his iam actum articulo 11. cap. 5. Præter asinina eiusmodi argumenta & hoc ille præstitit: Ex Iusto Lipsio refert miracula D. Virginis intercessione patrata; & ad marginem adnotat, quoties à viro clarissimo DIVA est appellata: Hussum enim, Lutherum, & ceteros Hæresiarchas posthac Diuos scribemus; Dei matrem vocare Diuam inexpiabile piaculum erit. DIVVS *Ioannes Hussus*, DIVVS *Lutherus*, ita vester Hun-
nius

nius in Articulis, de persona Christi, & de Ecclesia. Abeste, sine nobis insanite.

ARTICVLVS XIV.

De Romano Pontifice.



Hanc materiam Prædicantes amplissimũ mentiendi & conuitiandi campũ sibi constituunt. Tu ei quartam fere libri partem impendis; mihi esse breuiori licebit, tum quia repetis validissime à nostris protrita; nec fabula tam mendax est, quæ tibi non veri speciem præbeat; modo in Pontificem conficta fuerit: tum quia plurima ex prioribus articulis pendent; vt, qui recogitat, quæ de tremendo Missæ sacrificio egimus; statim intelligit, quam impie de illo interpreteris Scripturam, quæ prædicitur ab Antichristo cultum iri Deum Maozim; de qua blasphemia supra quoque dictum est. Principio quereris, vos iniuste à nobis hæresis condemnari eo quod Romanum Pontificem non agnoscatis omnium Controuersiarum Religionis Iudicem; quandoquidem nos expresse fateamur id sine hæresi negari. Nullus vnquam vere Catholicus docuit salua fide negari, quod Romanus Pontifex vna cum Generali Synodo non habeat quasuis Religionis lites decidendi auctoritatem; vos autem non vno, sed multiplici anathemate percussit Oecumenicum Tridentinum Concilium, à Romanis Pontificibus approbatum & confirmatum. Hæretici estis; nihil dubitate.

Caput I. Vtrum Romanus Pontifex sit vniuersalis Ecclesiæ Iudex.



Egas, quod ni negares, Hæreticus non fores. *Neque enim*, scribit ad S. Cornelium martyr Cyprianus epist. 55. *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti* DEI *non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa; nemo aduersum Sacerdotum Collegium quidquam moueret; nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum iudicem se iam non Episcopi, sed* DEI *faceret; nemo discidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumens seorsum foris hæresim nouam conderet.*

§ 2. De primatu sũmi Pontificis, ais, *Christus nec per se, nec per sanctos suos Prophetas & Apostolos minimum verbum docuit: ille in se credentes fideliter monuit, ne præter se & cælestem suum patrem, eiusmodi aliquem parentem acceptarent, cui sine vlteriore discussione* (in dubijs fidem attinentibus, quod omitti non debuit) *credendum & obtemperandum esset. Matth. 23. Nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester, Christus: omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vobis vocare super terram: vnus est enim pater vester, qui in cælis est. Nec vocemini Magistri: quia Magister vester vnus est, Christus. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Hæ Scripturæ fastum comprimunt, & ita hominem alijs præesse instruunt, vt se Christo subesse meminerit; ordinem & Hierarchiam Ecclesiasticam minime euertunt. Non negat Christus vnum ceteris maiorem esse; sed eum ad seruiendum subditorum

com-

commodis obstringit; neq; ad præfecturam hanc & Apostolatus dignitatem electus se ipse exaltat, quæ præcipitij occasio est; sed à Deo assumitur, à quo omnis potestas, & inprimis Ecclesiastica descendit. Omnes in Dei filios adoptati, & eatenus fratres sumus; officijs tamen valde impares. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* 1. Cor. 12. de vobis loquar. numquid omnes Magistri? numquid omnes Pastores? numquid omnes SVPER attendentes? Quis non aduertat te Scripturæ sensa interuertere?

§ 3. Nec æquior es sanctis Patribus. *Veteres*, inquis, *Christiani Doctores nihil de tali iurisdictione Romani Pontificis sciuerunt.* Mentiri te euincam ex eo, quem primo loco testem aduocas. *Cyprianus expresse scripsit contra fictitium primatum Petri, tractatu de simplicitate Clericorum.* Rectius hic liber inscribitur de vnitate Ecclesiæ; in quo manifeste asserit, & ex Christi verbis probat S. Martyr primatum Petri, & consequenter successorum Petri; neque enim Petro mortuo Ecclesia vna esse desijt. Vetustate, doctrina, sanctimonia, fuso pro Christo sanguine clarissimus Cyprianus 2. illius libri capite tradit, quomodo ementito luminis & fidei prætextu serpat Hæresis, subdit capite 3. *Hoc eo fit fratres charissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri cœlestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret & examinet, tractu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Ego tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit. Pasce oues meas. Super illum VNVM ædificat Ecclesiam*

 suam,

suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & caeteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti & honoris & potestatis. Hanc sententiolam excerpsit, ac maiusculis depinxit Praedicans, tacitis tam praecedentibus, quam his immediate sequentibus: *Sed exordium ab vnico proficiscitur,* PRIMATVS *Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & Cathedra vna monstretur.* Ex quo apertissimum est, Apostolos quidem pares fuisse quoad Apostolatum, ita vt nullus ab hac dignitate exclusus fuerit, eorum tamen principem & coryphaeum constitutum esse Petrum.

§ 4. Sexcenta alia mendacia tua non refero, quibus veritatis laruam iam detraxit Cardinalis Bellarminus. Caussam vero cur omnes Haereses primatum Petri & successorum eius cane peius & angue oderint, intactam praeterire non debeo. ea est, quia Haeresis omnis diuisionem, & scissuram facit; Primatus vnitatem firmat; adeoque è diametro sibi repugnant. Deinde, Haeresis enorme crimen est, quod impunitum non finit à Christo constitutus Iudex; quidni fur & latro insurgant in eum, à quo eis imminet supplicium? Scripturam vertere, inuertere possunt; apertior est Iudicis vox & sententia; *Quid aliud omnes victi facere consueuerunt, qui veritati consentire nolunt; nisi vt de Iudicis iniquitate mentiantur?* S. Augustinus cap. 1. ad Donatistas, post collationem. Rebellarunt contra Romanam sedem omnes sectae; sed impietate & plus quam meretricia impudentia vincuntur veteres à nostris Neoeuangelicis. Primatum

matum Petri confessi sunt olim multi, qui successores Petri oderant: hoc tempore maiora audent, de quibus postea. Ad antiquum autem Hæreticum Parmenianum lib. 2. B. Optatus Mileuitanus Episcopus, & S. Augustini synchronos fidenter loquitur: *Cathedra vna est, & negare non audes, scire te Petro primam in vrbe Roma cathedram esse collatam, vbi sederit omnium Apostolorum* CAPVT *Petrus, inde Cephas appellatus, in quo vno Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vna est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus, succedit Linus*, & ceteri vsque ad Paulum V. qui hodie pastorali cura regit Ecclesiam.

Caput II. Argumenta primatus Romani Pontificis.



EA qui scire volet, ab Illustrissimo Bellarmino plurima, firmissimaque petat, non à te, qui & Scripturarum & Patrum sensa deprauas; & clarissima Sanctorum verba retices; refers ea, de quibus te verosimilia mentiri posse confidebas. In veteri testamento summi Hebræorum Pontificis auctoritas probatur ex Deute. 17. *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Tu folio 282. huic dicto substernis hanc Minorem; *Ieremias, Christus, Petrus, Stephanus, &c. non obediunt sacerdoti locum Dei tenenti*: infers, *Ergo morientur* Maior est Scriptura sacra; ex Minori tua tam impia nascitur tam fœdus partus. Ieremias nullius Pontificis de Religionis controuersia decreto se opposuit; nec vllum à communi

indubie sensit: an non insania est dubitare an Petrus vnquam Romæ fuerit? tu folio 289. ex Scripturis colligis aut nunquam, aut non tam diu Romæ fuisse Petrum. Nunquam fuisse apertissimum mendacium est, quod nec tu affirmare voluisti; quomodo ergo, licet disiunctiue, asseris id ex Scriptura haberi? Quamdiu Romæ Petrus sederit, melius, quam tu, ex maiorũ traditione nouerit ante 1200. annos S. Hieronymus; qui cap. 1. de viris illustribus: *Petrus ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibiq; 25. annis Cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis.* Quæ de Cathedra, tanquam materiali sede, aut sella aliqua folio 290. & 398. nugaris, te morologum, non Theologum arguunt.

§5. Nobis adscribis syllogismum, cuius Maior sit: Quicquid Christus Petro locutus est, de Romanis quoq; Pontificibus intelligendum est. quem tu bonum syllogismum formares? Petrus & homo erat, & sacerdos, & Apostolus, & vniuersalis Ecclesiæ pastor, Christiq; Vicarius; quæ ad vnius Petri personam pertinent, ad alios non extendimus; quæ illi qua sacerdoti concessa sunt, nemo laicis permittit; dicta vero tanquam summo post Christum Pastori, omnibus omnino in eodem munere successoribus competunt.

§6. Qualis quisque est, talem putat esse alterum. In colloquio Ratisbonensi inter veterum testimonia recitantur quædam ex Tertulliano, quibus confirmatur Ecclesiam maiorum traditionibus insistentem non errare; neque enim Spiritus sanctus, quem Dei villicum, & Christi vicarium appellat Tertullianus, suo omnem veritatem docendi officio deerit; tu dolum commiscеris, quasi nostri intenderint lectorem fallere, vt de Romano Pontifice Tertullianum ista locutum crederet. Noli tuo pede metiri

metiri alios. Verum & Spiritus sanctus Ecclesiam docet & gubernat haud inuisibili auctoritate, sed per ministerium Pastorum & Doctorum, quos videmus & audimus; quorum principem esse Romanum Pontificem agnoscunt Christiani, visibilem Christi in terris Vicarium, & Villicum, qui de commissis sibi subditis rationem reddet; quæ à Spiritu sancto non exigetur, qui non in ministris, sed proprius eorum, quos regit, Dominus, ac Christo Saluatori nostro maiestate æqualis est. Quo loco nemo nostrum habet Romanum Pontificem, quem *sic existimet homo, vt ministrum Christi, & quod absque præiudicio sanctitatis cuiuspiam dixerim, summum plane inter ministros.* D. Bernardus libro 2. de Consideratione.

Caput III. De Antichristo.

SVmmum vniuersæ Ecclesiæ Pontificem veri Antichristi prodromi non solum criminantur, esse ipsissimum Antichristum, quem in fine mundi regnaturum, in Scripturis legimus; sed hoc infandum conuitium contendunt esse fidei dogma ex Scriptura euidenter deductum; quod sine hæresi negari nequeat; in Colloquio Ratisbo sess. 11. folio 128. & 129. Excipiunt tamen Scripturas eo sensu interpretandas esse, quem nullus veterum & sanctorum Patrum agnouerit; quod aperte satis admittis, folio 384. 390. & expressius tradit tuus Hunnius to. 1. operum Latinorum pag. 1282. Quid dico? si verum est, quod ad Patrum, vt dicitis, errores excusandos prætenditur; nec Apostoli Scripturas intellexerunt. Nam ideo prophetiam Danielis non intellexerunt Patres; quia reuelatio Danieli facta occulta esse debuit vsque ad

suo corpore non inuenit. Eucharius presbyter ex Hispania, Calamæ habitans, veteri morbo calculi laborabat, per memoriam supra dicti Martyris, quam Possidius illo aduexit Episcopus, saluus factus est. Idem ipse postea morbo alio prævalescente, mortuus sic iacebat, vt ei iam pollices ligarentur, OPITVLATIONE *memorati Martyris, cum de memoria eius reportata fuisset, & super iacentis corpus missu ipsius presbyteri tunica, suscitatus est. Audurus, nomen est fundi, vbi Ecclesia est, & in ea memoria Stephani Martyris. Puerum quendam paruulum cum in area luderet, exorbitantes boues, qui vehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & confestim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriam posuit, & non solum reuixit, verum etiam illæsus apparuit. Sanctimonialis quædam in vicina possessione, quæ Caspaliana dicitur, cum ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata est, quæ antequam reuocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius, & recepto spiritu salua facta est. Apud Hipponem Bassus quidam Syrus, ad memoriam eiusdem Martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eóq; secum vestem eius detulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum orante illo, ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cum domum redijsset, iam suorum eiulatibus personantem, & vestem filiæ quam ferebat super eam proiecisset, reddita est vita. Rursus ibidem apud nos Irenæi cuiusdam collectarij filius ægritudine extinctus est: Cumq; corpus iaceret examine, atque à gementibus & plangentibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantiũ verba suggessit, vt eiusdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit.*

§ 8. Ad hæc & similia an vere Catholica sint, responde; an in Beelzebub reuixerunt mortui? An vniuersus orbis mentitur, fallitur; vobis solis illuxit veritas, cæci & cæcorum duces? In quorum gratiam placet adhuc vnam de

cæco

cæco historiam ex eodem S. Augustino referre. *Miraculum quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit peruenire: quia & grandis est ciuitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora Martyrum Protasij & Geruasij: Quæ cum laterent & penitus nescirentur, Episcopo Ambrosio per somnium reuelata reperta sunt, vbi cæcus ille depulsis veteribus tenebris diem vidit.* Hoc tam euidens in oculis tanti populi factum an credent Hæretici? nec olim crediderunt; rem narrat à S. Augustino nominatus S. Ambrosius ser. 93. *Negant* Ariani *cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: video quæ non videbam. Ille dicit: cæcus esse desiui, & probat facto. Isti beneficium negant, quod factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequijs, Seuerus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium postquam inciderat impedimentum: vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequijs. Eos indices suæ visitationis accersit, quos habebat testes & arbitros cæcitatis: clamat quod, vt contigit fimbriam de veste Martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit. Cæcus fui & modo video. Interrogate alios si mihi non creditis, interrogate extraneos, ne astipulari mihi parentes putetis. Detestabilior istorum quam Iudæorum pertinacia. Illi cum dubitarent, vel parentes interrogabant, isti occultè interrogant, palam negant, iam non operi increduli, sed auctori. Sed quæro qui non credant, vtrum à Martyribus possint visitari, hoc est Christo non credere.*

§ 9. Fusius hæc retuli, quorum narratio & iucunda est; & ad Sectariorum nostrorum impietatem conuincendam accommodatissima. Superiore anno inertissimus quidam Episcopatus Misnensis Superattendens contra D. Virginis à V. C. Iusto Lipsio, & S. Bennonis à Monacensibus (Iesuitis addit, sed fallit) conscripta miracula edidit

disputationem, quam ad me misit Nobilis & amplissimus Augustæ Vindelicorum IIvir Marcus Velserus; in fronte disputationis hæc S. Augustini sententia inscripta est; *Plurima sunt dæmonum talia facta; quæ quanto mirabiliora confitemur, tanto cautius ea vitare debemus.* hæc quam inique & impie contra miracula per Sanctorum reliquias impetrata torqueantur, demonstrant quæ ex sanctissimo Doctore dedi. Similia à grauissimis Patribus posteritati relicta singulis seculis ad nos vsque, & hoc nostro tempore tam Deiparæ Virginis varijs locis, quam S. Bennonis Monachij, aliorum alibi testatissima habemus. Quia enim Prædicantes Cœli Reginam præ ceteris cœlitibus impugnant acrius; & sedem Apostolicam tanquam Antichristi regiã criminantur; Deus miris operibus & cultum quem Virgini deferimus; & obedientiam, quam Romanæ Cathedræ (cuius tam studiosus S. Benno fuit) nos debere agnoscimus, sibi accepta & sancta esse magnifice ostentat. Aduersum quæ Superattendens Misnensis eadem plane cornicatur, quæ Neuburgensis, vt dubites vter alteri stoliditatis primas præripiat. *Doctrina θεόπνευσος*, inquit Misnensis, *expresse docet, quod inuocatio sit cultus soli Deo debitus, non hominibus. Non habebis Deos alienos. Dominum tuum adorabis. Honorem meum alteri non dabo. Esa. 42. Inuoca me. psal. 50 Non facies tibi sculptile. Exo. 20. Væ qui dicit ligno expergiscere Abacuc. 2.* Ex vngue leonem; ex thesi 4. disce ὄνον. De his iam actum articulo 11. cap. 5. Præter asinina eiusmodi argumenta & hoc ille præstitit: Ex Iusto Lipsio refert miracula D. Virginis intercessione patrata; & ad marginem adnotat, quoties à viro clarissimo DIVA est appellata: Hussum enim, Lutherum, & ceteros Hæresiarchas posthac Diuos scribemus; Dei matrem vocare Diuam inexpiabile piaculum erit. DIVVS *Ioannes Hussius*, DIVVS *Lutherus*, ita vester Hunnius

nius in Articulis, de persona Christi, & de Ecclesia. Abeste, sine nobis insanite.

ARTICVLVS XIV.

De Romano Pontifice.



Anc materiam Prædicantes amplissimũ mentiendi & conuitiandi campũ sibi constituunt. Tu ei quartam fere libri partem impendis; mihi esse breuiori licebit, tum quia repetis validissime à nostris protrita; nec fabula tam mendax est, quæ tibi non veri speciem præbeat; modo in Pontificem conficta fuerit: tum quia plurima ex prioribus articulis pendent; vt, qui recogitat, quæ de tremendo Missæ sacrificio egimus; statim intelligit, quam impie de illo interpreteris Scripturam, qua prædicitur ab Antichristo cultum iri Deum Maozim; de qua blasphemia supra quoque dictum est. Principio quereris, vos iniuste à nobis hæresis condemnari eo quod Romanum Pontificem non agnoscatis omnium Controuersiarum Religionis Iudicem; quandoquidem nos expresse fateamur id sine hæresi negari. Nullus vnquam vere Catholicus docuit salua fide negari, quod Romanus Pontifex vna cum Generali Synodo non habeat quasuis Religionis lites decidendi auctoritatem; vos autem non vno, sed multiplici anathemate percussit Oecumenicum Tridentinum Concilium, à Romanis Pontificibus approbatum & confirmatum. Hæretici estis; nihil dubitate.

Caput I. Vtrum Romanus Pontifex sit vniuersalis Ecclesiæ Iudex.



NEgas, quod ni negares, Hæreticus non fores. *Neque enim*, scribit ad S. Cornelium martyr Cyprianus epist. 55. *aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti* DEI *non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa; nemo aduersum Sacerdotum Collegium quidquam moueret; nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum iudicem se iam non Episcopi, sed* DEI *faceret; nemo discidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumens seorsum foris hæresim nouam conderet.*

§ 2. De primatu sumi Pontificis, ais, *Christus nec per se, nec per sanctos suos Prophetas & Apostolos minimum verbum docuit; ille in se credentes fideliter monuit, ne præter se & cælestem suum patrem, eiusmodi aliquem parentem acceptarent, cui sine vlteriore discussione* (in dubijs fidem attinentibus, quod omitti non debuit) *credendum & obtemperandum esset. Matth. 23. Nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester, Christus: omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vobis vocare super terram; vnus est enim pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini Magistri: quia Magister vester vnus est, Christus. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Hæ Scripturæ fastum comprimunt, & ita hominem alijs præesse instruunt, vt se Christo subesse meminerit; ordinem & Hierarchiam Ecclesiasticam minime euertunt. Non negat Christus vnum ceteris maiorem esse; sed eum ad seruiendum subditorum com-

commodis obstringit; neq; ad præfecturam hanc & Apostolatus dignitatem electus se ipse exaltat, quæ præcipitij occasio est; sed à Deo assumitur, à quo omnis potestas, & inprimis Ecclesiastica descendit. Omnes in Dei filios adoptati, & eatenus fratres sumus; officijs tamen valde impares. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* 1. Cor. 12. de vobis loquar. numquid omnes Magistri? numquid omnes Pastores? numquid omnes SVPERattendentes? Quis non aduertat te Scripturæ sensa interuertere?

§ 3. Nec æquior es sanctis Patribus. *Veteres*, inquis, *Christiani Doctores nihil de tali iurisdictione Romani Pontificis sciuerunt.* Mentiri te euincam ex eo, quem primo loco testem aduocas. *Cyprianus expresse scripsit contra fictitium primatum Petri, tractatu de simplicitate Clericorum.* Rectius hic liber inscribitur de vnitate Ecclesiæ; in quo manifeste asserit, & ex Christi verbis probat S. Martyr primatum Petri, & consequenter successorum Petri; neque enim Petro mortuo Ecclesia vna esse desijt. Vetustate, doctrina, sanctimonia, fuso pro Christo sanguine clarissimus Cyprianus 2. illius libri capite tradit, quomodo ementito luminis & fidei prætextu serpat Hæresis, subdit capite 3. *Hoc eo fit fratres charissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri cælestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret & examinet, tractu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Ego tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit. Pasce oues meas. Super illum* VNVM *ædificat Ecclesiam*

 suam,

suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praditi & honoris & potestatis. Hanc sententiolam excerpsit, ac maiusculis depinxit Prædicans, tacitis tam præcedentibus, quam his immediate sequentibus: *Sed exordium ab vnico proficiscitur, PRIMATVS Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & Cathedra vna monstretur.* Ex quo apertissimum est, Apostolos quidem pares fuisse quoad Apostolatum, ita vt nullus ab hac dignitate exclusus fuerit, eorum tamen principem & coryphæum constitutum esse Petrum.,

§ 4. Sexcenta alia mendacia tua non refero, quibus veritatis laruam iam detraxit Cardinalis Bellarminus. Caussam vero cur omnes Hæreses primatum Petri & successorum eius cane peius & angue oderint, intactam præterire non debeo. ea est, quia Hæresis omnis diuisionem, & scissuram facit; Primatus vnitatem firmat; adeoque è diametro sibi repugnant. Deinde, Hæresis enorme crimen est, quod impunitum non sinit à Christo constitutus Iudex; quidni fur & latro insurgant in eum, à quo eis imminet supplicium? Scripturam vertere, inuertere possunt; apertior est Iudicis vox & sententia: *Quid aliud omnes victi facere consueuerunt, qui veritati consentire nolunt; nisi vt de Iudicis iniquitate mentiantur?* S. Augustinus cap. 1. ad Donatistas, post collationem. Rebellarunt contra Romanam sedem omnes sectæ; sed impietate & plus quam meretricia impudentia vincuntur veteres à nostris Neoeuangelicis. Primatum

matum Petri confessi sunt olim multi, qui successores Petri oderant: hoc tempore maiora audent, de quibus postea. Ad antiquum autem Hæreticum Parmenianum lib. 2. B. Optatus Mileuitanus Episcopus, & S. Augustini synchronos fidenter loquitur: *Cathedra vna est, & negare non audes, scire te Petro primam in vrbe Roma cathedram esse collatam, vbi sederit omnium Apostolorum* CAPVT *Petrus, inde Cephas appellatus, in quo vno Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vna est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus, succedit Linus*, & ceteri vsque ad Paulum V. qui hodie pastorali cura regit Ecclesiam.

Caput II. Argumenta primatus Romani Pontificis.


EA qui scire volet, ab Illustrissimo Bellarmino plurima, firmissimaque petat, non à te, qui & Scripturarum & Patrum sensa deprauas; & clarissima Sanctorum verba retices; refers ea, de quibus te verosimilia mentiri posse confidebas. In veteri testamento summi Hebræorum Pontificis auctoritas probatur ex Deute. 17. *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Tu folio 282. huic dicto substernis hanc Minorem; *Ieremias, Christus, Petrus, Stephanus, &c. non obediunt sacerdoti locum Dei tenenti:* infers, *Ergo morientur* Maior est Scriptura sacra; ex Minori tua tam impia nascitur tam fœdus partus. Ieremias nullius Pontificis de Religionis controuersia decreto se opposuit; hec vllum à communi

Hebræorum Ecclesia, cui Helcias & ceteri succedentes Pontifices præerant, tanquam ab hæresis magistra euocauit; ac proprium conuentum instituit. Christo quis vnquam Iudicem constituit? eo præsente ac visibiliter oues proprias pascente; non opus erat vicario ac locum tenente; qui in explicandis fidei controuersijs infallibili auctoritate polleret. Sed retinuerit eam Caiphas prædicante iam Christo; quis Christianus admittet dubium fuisse, vtrum Christus mortem mereatur? si apertissima fuit eius innocentia, vt sane fuit; nequit non iniqua esse illum condemnantis sententia. Nec nos docemus Romanum Pontificem audiendum; si manifestum errorem, quod non permittet Christus, Ecclesiæ obtruderet: in dubijs Iudice opus est; Saluatoris vero tam clara erat innocentia, vt nec Pilatum Gentili superstitione excæcatum latuerit. A morte Christi Iudaizans Prædicans supponit Caipham sustinuisse Dei vices. insane, non Petrus Caiphæ, sed Caiphas Petro obedire debebat; Caiphæ quoque parieti dealbato, non Petro Christi Vicario restitit B. Stephanus.

§ 2. Inter alia primatus Apostolicæ sedis argumenta eminent duo Euangelij loca, in vno ille promittitur; in altero confertur, vt veteres etiam agnouerunt; nec eum proprium esse sensum vllatenus negarunt; si qui alium interdum reddiderunt. *Ego*, inquit Veritas, *dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Mat. 16. Quæcunque ergo Petri non est, nec Christi est Ecclesia. Hinc S. Ambrosius ser. 11. de mirabilibus: *Hanc solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et S. Hieronymus epist. 57. ad B. Damasum Papam: *Ego nullum primũ nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedra Petri communio-*

munione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.

§ 3. Alter locus est Ioan. 21. vbi Dominus oues suas Petro committit; *pasce agnos meos: pasce oues meas*, in quæ verba S. Eucherius Lugdunensis Episcopus, hom. in vigilia S. Petri: *Prius agnos, deinde oues commisit ei: quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues: pascit filios, pascit & matres; regit & subditos & prælatos. Omnium igitur pastor est: quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est.* Eadem verba optime ponderat Diuus Bernardus (sic eum nominat tuus quoque Hunnius, to. 1. operum latinorum folio 1291.) lib. 3. ad Eugenium Papam, cap. 8. *Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius vtrumque præ ceteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi aßignatos greges singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, sed & pastorum tu vnus omnium es pastor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quás? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues, inquit, meas. Cui non planum non designasse aliquas, sed aßignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et forte præsentes ceteri discipuli erant, cum committens vni vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno pastore, secundum illud: Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Iure ergo 1100. ante años Leo Magnus ep. 89. interminatur: *Quisquis Petro primatum æstimat denegandum inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.*

§ 4. Tota antiquitas vnanimi consensu Petrum Romæ vixisse, vrbis Pontificatum gessisse, in eaque mortuum esse

indubie sensit: an non insania est dubitare an Petrus vnquam Romæ fuerit? tu folio 289. ex Scripturis colligis aut nunquam, aut non tam diu Romæ fuisse Petrum. Nunquam fuisse apertissimum mendacium est, quod nec tu affirmare voluisti; quomodo ergo, licet disiunctiue, asseris id ex Scriptura haberi? Quamdiu Romæ Petrus sederit, melius, quam tu, ex maiorũ traditione nouerit ante 1200. annos S. Hieronymus; qui cap. 1. de viris illustribus: *Petrus ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibiq; 25. annis Cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis.* Quæ de Cathedra, tanquam materiali sede, aut sella aliqua folio 290. & 398. nugaris, te morologum, non Theologum arguunt.

§5. Nobis adscribis syllogismum, cuius Maior sit: Quicquid Christus Petro locutus est, de Romanis quoq; Pontificibus intelligendum est. quem tu bonum syllogismum formares? Petrus & homo erat, & sacerdos, & Apostolus, & vniuersalis Ecclesiæ pastor, Christiq; Vicarius; quæ ad vnius Petri personam pertinent, ad alios non extendimus; quæ illi qua sacerdoti concessa sunt, nemo laicis permittit; dicta vero tanquam summo post Christum Pastori, omnibus omnino in eodem munere successoribus competunt.

§6. Qualis quisque est, talem putat esse alterum. In colloquio Ratisbonensi inter veterum testimonia recitantur quædam ex Tertulliano, quibus confirmatur Ecclesiam maiorum traditionibus insistentem non errare; neque enim Spiritus sanctus, quem Dei villicum, & Christi vicarium appellat Tertullianus, suo omnem veritatem docendi officio deerit; tu dolum commimisceris, quasi nostri intenderint lectorem fallere, vt de Romano Pontifice Tertullianum ista locutum crederet. Noli tuo pede

metiri

metiri alios. Verum & Spiritus sanctus Ecclesiam docet & gubernat haud inuisibili auctoritate, sed per ministerium Pastorum & Doctorum, quos videmus & audimus; quorum principem esse Romanum Pontificem agnoscunt Christiani, visibilem Christi in terris Vicarium, & Villicum, qui de commissis sibi subditis rationem reddet; quæ à Spiritu sancto non exigetur, qui non in ministris, sed proprius eorum, quos regit, Dominus, ac Christo Saluatori nostro maiestate æqualis est. Quo loco nemo nostrum habet Romanum Pontificem, quem *sic existimet homo, vt ministrum Christi, & quod absque præiudicio sanctitatis cuiuspiam dixerim, summum plane inter ministros.* D. Bernardus libro 2. de Consideratione.

Caput III. De Antichristo.



SVmmum vniuersæ Ecclesiæ Pontificem veri Antichristi prodromi non solum criminantur, esse ipsissimum Antichristum, quem in fine mundi regnaturum, in Scripturis legimus; sed hoc infandum conuitium contendunt esse fidei dogma ex Scriptura euidenter deductum; quod sine hæresi negari nequeat; in Colloquio Ratisbo sess. 11. folio 128. & 129. Excipiunt tamen Scripturas eo sensu interpretandas esse, quem nullus veterum & sanctorum Patrum agnouerit; quod aperte satis admittis, folio 384. 390. & expressius tradit tuus Hunnius to. 1. operum Latinorum pag. 1282. Quid dico? si verum est, quod ad Patrum, vt dicitis, errores excusandos prætenditur; nec Apostoli Scripturas intellexerunt. Nam ideo prophetiam Danielis non intellexerunt Patres; quia reuelatio Danieli facta occulta esse debuit vsque ad

vltima tempora ergo nec Apostoli eam cognouerunt; & si cognouissent, illam vtique discipulis suis, & hi alijs tradidissent: nam vt S. Irenæus lib. 3. cap. 4. testatur; *in Ecclesiam tanquam in diues depositorium Apostoli plenissime contulerunt omnia.*

§ 2. Danielis 12. dicit prophetæ Angelus: *claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum; plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* Ergo mirandum non est, omnes Scripturarum interpretes à vero sensu aberrasse. Ita Prædicantes; quibus omnino clausi sunt sermones illi, impijs enim claudentur; piorum vero multa erit scientia; quod apertius in eodem capite legimus; *neque intelligent omnes impij; porro docti intelligent*, præsertim in Euangelij luce; Christi siquidem in carne aduentum designari à Daniele per statutum, seu consummationis tempus recte intelligimus: nam ab Apostolis plura de Antichristo prædicatione ac scripto exposita, & posteris tradita sunt; quæ antea inuolutiora erant. Quare B. Theodoretus hanc istius loci paraphrasin reddit: *Impone, inquit* Angelus, *libro sigilla obscuritatis, neque perspicua omnibus ea facias, donec multiplicetur scientia, & impleatur omnis terra cognitione domini, sicut aqua multa operiet maria secundum prophetiam. His signis ablatis diuini Spiritus gratia, post nostri Saluatoris aduentum, obscura credentibus perspicua fecit.* Neq; tamen dixerim omnia de Antichristo venturo sanctis Doctoribus iñotuisse; latent quæ ad tempus aduentus eius pertinent; nomina quoq; illius, ac Regum futurorum; & similia; quæ nec ipse propheta cognouit; de quo S. Hieronymus: *Audierat Regum bella diuersa, & inter se prælia, & multiplicem historiam; sed nomina non audierat singulorum.* De quibus etiam nihil stabili & indubia assertione à Patribus traditum est.

§ 3. Quæ vero illi vnanimi consensu tanquam Scripturæ ge-

ræ genuinam interpretationem receperunt, non nisi impie repudiantur. nam si idonei testes sunt ad litteram pro sacra habendam, adeo vt extra canonem ponere non liceat librum, quem omnes veteres tanquam canonicum laudarunt; cur non idonei sint ad testificandum de vero litteræ sensu? Bene S. Flauianus Constantinopolitanus Episcopus & martyr, cuius laus est in Chalcedonensi Generali Synodo, ad Leonem Pontificem: *omnia facienda nobis sunt, & laborandum pro fide &* EXPOSITIONIBVS, *dogmatibusq; sanctorum Patrum, quatenus per omnia, & inter omnes concussiones rerum integra hac & inuiolata saluentur & custodiantur.* Et Magnus Athanasius in epist. de Nicæna Synodo: *Est ibi, vt Patres tradiderunt, vera disciplinæ, & magisterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à se inuicem, nec à maioribus dissentiunt Qui igitur hoc animo non sunt,* MALI *potius, quam veri* PRÆCEPTORES *appellari debent.* Itaque dum Antichristum vos euidenter demonstrare profitemini; pseudoprophetæ aperte demonstramini. Scripturas de Antichristo teneris nullos intellexisse ante Lutherum, qui diuinitus ad illum detegendum electus fuit. *Reuelatio Antichristi,* scribit vester Hunnius to. 2. operum latinorum, folio 20. *& detectio tenebrarum regni eius, sicut non est commune opus, sed quoddam extraordinarium; sic quoque vocatio ad hoc arduum munus fuit in Luthero extraordinarium quid.* Omnino, & extra & contra omnem ordinem fuit; quem nunquam seruat Hæresis. Sed si fidei articulus est scitu omnibus necessarius, Antichristi iam factam reuelationem credere; vt asseritis, & si, *quæcunque ad salutem scitu necessaria sunt, satis perspicue & dilucide in vtroque testamento* OB OCVLOS *posita* agnoscitis; quæ quinta vestra in Colloquio Ratisbonensi thesis est; quomodo tam clara veritas latuit, S. Gregorium Magnum, S. Gregorium Turonensem, S. Anselmum, venerabilem

bilem Bedam, S. Bernardum, & tot iam à 1000. annis sanctissimos & in Scripturis exercitatissimos Doctores, cum tamen iam præsens esset Antichristus? quomodo hoc opus tam arduum, & extraordinario propheta indigum est, si id ex Scripturis euidenter deducitur?

§ 4. Clarissimam de Antichristo Scripturam esse ais 2. ad Thessalo. 2. quam etiam primo loco ponis, folio 298. Tradit Apostolus non venturum iudicij diem, *nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus; aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Et: *tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Ex quo loco apertum est Antichristum, de quo hic agit Apostolus, fore vnum hominem; qui circa finem mundi regnabit; quam concordem esse sanctorum Patrum sententiam nec Aduersarij negant: *sed venia danda est* scribit in art. de Ecclesia to. 1. operum Latinorum, folio 1413 Hunnius, *quod cum illorum ætate vaticinia essent adhuc obsignata & clausa, & Antichristus nondum plane in apertum prorupisset, eum MINIME agnouerunt.* Satis est, te tuosq; Hæreticos maxime agnoscimus. Apostolus quater repetit articulum ὁ, quæ singularis personæ vsitata designatio est; ὁ ἄνθρωπος ille homo, ὁ υἱός, ille filius; ὁ ἀντικείμενος, ille aduersarius, ὁ ἄνομος ille iniquus; quem Prædicantes totam illam tot seculorum Romanorum Pontificum seriem esse comminiscuntur; qui se extollunt supra omnem Deum; nam scribunt se seruos seruorum Dei, & ad fidem Christi ab infidelitate Gentili reduxerunt per missos à se sacerdotes Germaniam, Angliam, Scotiam, Poloniam, Sueciam, Daniam, Vngariam, Bohemiam; atque etiam hodie remotissimis Gentibus Indis, Sinis, Iaponijs Christum Deum annunciant,

An non

An non euidens est, quod se tanquam Deum ostendant? § 5. *Vsurpat sibi titulos*, scribis folio 301. *vni filio Dei & Mariæ Iesu Christo proprios, ac si ipse Christus esset, dum vocatur Caput Ecclesiæ, Pontifex Maximus, Sanctissimus.* Iam audiuisti, quo ipse vtatur titulo; seruum seruorum Dei se nuncupat: quem vt Caput Ecclesiæ honorant, Pontificem maximum prædicant, Sanctissimum salutant alij, sine vlla Christi iniuria, quem supremum Caput, Pontificem, omnisq; sanctitatis fontem fideliter confitentur. Christum Iesum vnicum esse fundamentum tradit Apostolus, 1. ad Corinth. 3. & tamen idem ad Ephesios cap. 2. scribit: *superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Et quid notius, quam Pastoris, Regis, Optimi, Maximi, fortissimi; aliaque Dei ac Christi nomina diuerso sensu diuersis tribui? de quo iam Articulo 1. § 5. te monui. Ecclesiæ CAPVT appellatus est Romanus Pontifex à IV. Generali Chalcedonensi Synodo; inter ministros antefertur; Domino minime æquatur. Inter Pontifices semper primus & maximus habitus est Romanus, & iam ante 1300. años à S. Cypriano ep. 55. Romana Ecclesia appellata est principalis. Et Oecumenica Chalcedonensis Synodus act. 16. *perpendimus omnem PRIMATVM & honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.* Ob huius muneris excellentiam ab alijs, non à se ipso, iure dicitur sanctissimus; nam cum omnes sacerdotes Deo sacri & singulariter dicati sint, sacratissimus fuerit sacerdotum præcipuus. Gentilem hominem ob ciuilis præfecturæ dignitatem alloquitur Apostolus, Act. 26. *Optime Feste.* & tu Christi Vicario inuides nomen Sanctissimi? quod & Oriens & Occidens tot seculis illi tribuit; vt patet ex Act. 3 Concilij Chalcedonensis, in qua 4. Græcorum epistolæ hoc titulo lectæ sunt: Sanctissimo & vniuer-

ſali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, &c. Vos ipſi ad ſchiſmaticum; & hæreticum Patriarcham Conſtantinopolitanum Ieremiam, propter Epiſcopalis Ordinis eminentiam ſcripſiſtis: τῷ παναγιωτάτῳ πατριάρχῃ, κυρίῳ σεβασμιωτάτῳ, *Omnium ſanctiſſimo Patriarchæ, Domino colendiſſimo.* Inter eos, qui ſubſcripſerant, fuerunt etiam Ioannes Magirus Præpoſitus Stutgardianus, & Stephanus Gerlachius Tubinganus Profeſſor, qui hunc ipſum, quem refellimus librum, ſubſcriptis nominibus approbarunt. Eundem Ieremiam in datis ad eum litteris appellarunt Oecumenicum Patriarcham Iacobus Schmidlin, & Lucas Oſiander; verum cum ſua dogmata viderent eum auerſari; tum ij, tum ceteri Prædicantes Wirtembergici illum non abſolute Oecumenicum ſeu Vniuerſalem, ſed, appellatum Oecumenicum Patriarcham ſalutarunt. Hæc omnia legere eſt in Actis Theologorum Wirtembergenſium, & Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, Græce & Latine editis Witebergæ, Anno 1584.

§ 6. Altero loco ponis prophetiam Danielis cap. 11. qua omnino Antichriſtus deſcribitur; totam refero; & ad oculum apparebit, quam ſtulte demonſtrationes & euidentia crepes argumenta: *Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum: & aduerſus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe eſt definitio. Et Deum patrum ſuorum non reputabit, & erit in concupiſcentijs fœminarum, nec quemquam Deorum curabit: quia aduerſum vniuerſa conſurget. Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur: & Deum quem ignorauerunt patres eius colet auro, & argento, & lapide pretioſo, rebúsq; pretioſis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno; quem cognouit, & multiplicabit gloriam; & dabit eis poteſtatem in multis, & terram diuidet gratuito. Et in tempore præ-*

finito

finito præliabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis, in curribus, & in equitibus, & in classe magna, & ingredietur terras, & conferet, & pertransiet. Et introibit in terram gloriosam, & multæ corruent: hæ autem solæ saluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon. Et mittet manum suam in terras, & terra Ægypti non effugiet. Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti: per Libyam quoque & Æthiopiam transibit. Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone, & veniet in multitudine magna, vt conterat & interficiat plurimos. Et figet tabernaculum suum Apadno, inter maria, super montem inclitum & sanctum: & veniet vsque ad summitatem eius, & nemo auxiliabitur. Ex hac Scriptura euidenter ostenditur Pontificem Romanum esse Antichristum, vt patet ex his euidentibus Prædicantis mendacijs & criminationibus: *Papa nulli hominum exhibet reuerentiam, nisi quod Imperatori manum illius ac pedem osculanti parum assurgat*; folio 304. *horrenda loquitur contra Deum*; folio 305. *vocat se Deum, ac si Deus homo peccatis obnoxius & mortalis esset, sicut ille: horrenda aduersum Christum vox est, quod se illius Vicarium nominet; quod Missa sit sacrificium propitiatorium pro viuis & defunctis*, &c. folio 306. *miseros, cæcos homines, imo Imperatores, Reges, Principes & Dynastas multifarie decepit*; folio 307. *Nullum Deum curat; nec Patrem; qui, vt Filium audiremus, è cælo nobis mandauit; nec Spiritum sanctum*; folio 308. *Deus Maosim est Deus Missaticus seu Missa, præcipuus Deus seu Religio in Papæ regno*; folio 309. De hac Missa *nihil omnino sciuerunt Apostoli, & veteres Christiani Patres*; folio 310. In his tam monstrosis calumnijs refellendis non immoror; quas videbit & detestabitur quisquis Romanam Ecclesiam nouit.

§7. In ceteræ quoque prophetiæ expositione nihil audio, quod vel speciem congruæ interpretationis prætendat;

dat; sed mira deliria. *Papa mittit potentiam suam in regiones: Ægyptus non effugit illum; sed dominatur cum suis copijs in thesauros auri & argenti, & omnia pretiosa Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ; dum ex omni natione Christianorum, à nobilibus & ignobilibus, à diuitibus & pauperibus pecunias & thesauros colligit. consistit Papæ potentia maxime in Bullis, quas per suos Nuncios & Legatos à latere in varias, propinquas & remotas regiones, per terram & aquas mittit* folio 312. & sic per Libyam & Æthiopiam intelligendæ sunt Italia, Gallia, Hispania, Germania, &c. ex his thesauros à Pontificibus congregari Prædicantica sycophantia summis & infimis nota est. Translatis Italia in Africam, Germania in Æthiopiam, &c. audiamus quid Oriens & Aquilo sit; cum de Antichristo legimus: *Fama turbabit eum ab Oriente, & ab Aquilone.* quid Prædicans? *Clamor iam terruit Papam. ab Oriente quidem, quia sol iustitiæ post longam noctem & tenebras clara S. Euangelij sui luce iterum splendescere cæpit. ab Aquilone vero clamor auditus est, quia Dominus excitauit quasdam personas Septemtrionales (nam VVitteberga versus Septemtrionem sita est. folio 564.) potissimum Martinum Luther. Hac fama de D Lutheri concionibus & scriptis multo amplius terruit Papam, ac si bellum aduersus illum fuisset motum. hic interfectus est Spiritu oris Christi.* folio 513 Os Christi appellabis spurcam impuri Apostatæ linguam! quo agitatus spiritu contra Ecclesiam rebellarit, Articulo 8. dictum est. Quomodo cecidit Pontifex, cuius auctoritatem venerantur potentissimi Reges ac Principes, cuius sacro regimini remotissimi populi, quos ante non nouerat, accessere? Et tamen huiusmodi fabulis innititur nouus vester de Antichristo iam præsente fidei Articulus. Veram & veterem Catholicorum in hunc Danielis locum expositionem à SS Patribus accipiet, quisquis sapit. *Nostri*, ait de Catholicis S. Hieronymus, *super Antichristo sic*

expo-

exponunt; *quod pugnans contra Ægyptios, Libyasq; & Æthiopas, & tria cornua de decem cornibus conterens auditurus sit de Aquilonis & de Orientis partibus aduersum se bella consurgere*, &c.

§ 8. Præterire non debeo verba illa; *& erit in concupiscentijs feminarum*: incredibile, quantum contra has Witebergicus subulcus clamarit: cuius de ore Veneres fluunt; qui in ipsa Biblia Germanica ad cap. 31. Prouerbiorum hos versus adscripsit:

Nil melius in terris queat inueniri
Mulierum amore, si datur potiri.

Ne ergo mulierosus hic propheta videatur socius, non hostis Antichristi; negandus est textus Scripturæ, quem tot seculis habuit latina Ecclesia; & vt Hebraicæ veritati consonam probauit Hebraice doctissimus Hieronymus; atq; ex Græco substituendum; *ad concupiscentiam mulierum animum non adyciet*; vt calumniæ in sacerdotum cœlibatum via pateat. Nihil hic, etiamsi textum Græcum admittamus, de lege castimoniæ alijs lata, sed de ipso Antichristo, qui si Romanus sit Pontifex, quare folio 18r. alijsq; locis cauillaris ex historijs colligi plerosq; Pontifices turpem vitam duxisse? Sed mulierum concupiscentiam folio 607. exponis coniugium; quo modo Græcum textum nullus vnquam intellexit, vt ex B. Theodoreto alijsq; videre est; & puti de calumniaris à Pontifice damnari coniugia; de quo postea, Articulo 17.

§ 9. Tertius Scripturæ locus est Danielis 8. vbi de Antichristo dicitur: *tulit iuge sacrificium*; *& deiecit locum sanctificationis eius.* Non ipsum Antichristum, sed eius anteambulones vos esse digito ostendit propheta; qui vnicum & quotidie in Ecclesia offerri solitum sacrificium totis viribus sublatum itis; & loca sancta, ac templa, in quibus sacrificamus, prophanatis, aut demolimini.

 § 10. Quar-

§ 10. Quartum locum adducis ex Danielis 11. vbi plura de bellis Antichristi, quæ Romano Pontifici non conuenire meridiana luce clarius est; ista, *pollucnt sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium*, iam intelliges. Sed dum de bellis Antichristi disputas; repente eius patrocinium suscipis; folio 328. nam Antichristo viam parant Hæretici, quos doles igne puniri; & vt soles, mentiris idem veteres Patres improbasse; vnius Augustini hæc refers verba: *In Catholica nulli bono vnquam placuisse in Hæreticum etiam conuictum vsq. ad mortem sæuire.* lib. 3. contra Cresconium cap. 50. Nec tam pauca sine fraude dare poteras; hæc habet S. Augustinus. *Nullus tamen bonis in Ecclesia* Hoc *placet, si vsque ad mortem in quemquam, etiam Hæreticum sæuiatur.* Egerat prius de quibusdam Donatistis, quos à Catholicis occisos ferebant; priuata scilicet auctoritate, vt satis colligitur; & Hoc nullis bonis placebat; tu vt publicam quoque iustitiam complectereris, omisso Hoc, adijcis, *nulli vnquam placuit*, &, *conuictum*, quasi de iudicialiter condemnatis sermo sit. Sensit quidem aliquando S. Pater Hæreticos non esse ad fidem seuerius compellendos, sed retractauit lib. 2. Retractationum, cap. 5 *Vere*, scribit de hac re, *tunc mihi non placebat, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.* Iuste illos vel morte puniri idem bene declarat tract. 9. in Ioan. *Occidunt animas, & affliguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur.* Disce tacere, si non vis, quæ displiceant audire. Multos porro Lutheranos gladio, igne, carceribus sublatos per inquisitiones in Italia, Gallia, Hispania, Germania, Belgio asseris; sed apertius hoc mendacium est, quam tegi queat; numera quot à Catholicis Lutherani præsertim Prædicantes fidei causa occisi sint; quo loco in Germa-

Germaniæ superiore, vel Gallia instituta est Inquisitio? Querebantur etiam olim Donatistæ suos ob Religionem necari; & de pauculis quibusdam tanquam martyribus gloriabantur; de quibus tamen nec constabat; & ab ipsis atrocissima passa fuerat Ecclesia, refert S Augusti. l. 3. contra Cresconium cap. 42. & sequentibus. Eadem vestra & fratrum vestrorum Caluinistarum est causa & conditio. E quibus si quis necatus fuerit, dicam cum S. Cypriano cap. 10. de vnita. Eccle. *Occidi talis potest, coronari non potest.*

§ 11. Quintum, sextum, septimum, octauum argumentum de Antichristo, sumis ex cap. 24. Matth. Epist. 1. ad Timoth. cap. 4. Epist. 2. Petri, cap. 2. Epist. 1. Ioannis, cap. 2. & 4. Apud Matthæum prædicit Christus, *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio,* &c. Hæc & plura sequentia adducis tanquam demonstrationem, quod Papa sit Antichristus. Ab infidelibus & Hæreticis ex sola Societate nostra his annis, centum & multo plures occisi sunt; Catholici sacerdotes in omnibus versantur Gentibus; & à nullis non interdum patiuntur. Exspectabo, vt numeres quot Prædicantes nisi ob furta forsitan suspensi, alioue supplicio affecti sint; incredibili vestri odio ardent oēs Gentes in Indijs, Peru, Molucis, Philippinis insulis, Regno Mogor, Iaponia, Sinis: scilicet; pseudoprophetæ estis, ad seducendum ficti; non ad Christum Gentibus annunciandum. De pseudoprophetis Hæreticis est Tertulliani & tot seculis confirmata regula; quod *hoc sit negotium illis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent.* cap. 42. de præscription. Verum cum nostro primum tempore Euangelium multis Genti-

bus primo prædicatum sit; vel hinc demonstratur, quam verum, iam ante 1000. annos Antichristum & consummationis tempora aduenisse. Loca ex Apostolorum epistolis collecta pertinent ad quosuis Christi doctrinæ aduersarios, non ad supremum illum & supremis temporibus futurum; quem Apostolus 2. Thessalo. 2. Daniel, & in Apocal. S. Ioannes describit; sed tibi cœlibatum & ieiunia Ecclesiastica calumniari volupe erat.

§ 12. Ex S. Ioannis Apocalypsis cap. 10. 11. 13. 14. 16. 17. 18. septem demonstrationes de præsente iam Antichristo insolubiles struis; sed septuagesies septies mentiris, criminaris, blasphemias despumas. Legantur obsecro Scripturæ verba; quia Prædicantes rem inter manus esse volunt; quid opus est ergo vestris paradoxorū & impietatum fœcundis expositionibus? Capite 10. legimus: *Vidi alium Angelum fortem, descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis: & habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, & clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit*, &c. Hunc esse sanctum Angelum qui Christi Domini personam gerat, exponit B. Andreas Cæsariensis Episcopus; ipsum Christum esse interpretantur Primasius Vticensis in Africa Episcopus, venerabilis Beda & plures; quid Prædicans? ex Christo, aut sancto Angelo facit diabolum, seu Antichristum; & gloriæ encomia demutat in conuitia contra Pontificem. E cœlo descendentem propheta Neuburgicus videt bestiam; quam S. Ioannes ex abysso viderat ascendentem. cap. 11. & 13.

§ 13. Ex capite 11. audes referre, quæ apertissime conuincunt necdum adesse Antichristum; cuius tempore reuertent Enoch & Elias; quos per duos testes designari certum

certum est, tum ex ipso textu, tum ex communi sanctorum Patrum sententia, qui Eliam & Enoch necdum mortuos, sed sub Antichristo necandos indubie tenent; S. Iustinus in dial. cum Tryphone, S. Methodius in reuelationibus, S. Epiphanius Hære. 64. S. Chrysostomus hom. 58. in Matth. hom. 4. in 2. ad Thessalo. & hom. 22. in epist. ad Hebræos, S. Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram, cap. 6. &c. quorum auctoritatis aciem non ideo patiemur hebescere, quia vnus & alter opinatus est Moysen rediturum, non Enoch; de aduentu Eliæ nullus vnquam dubitauit; & clare prædixit Malachias, cap. 4. *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam* (Thebiten, vt habent 70. ἠλίαν τὸν θεσβίτην) *antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Et Christus ipse Matth. 17. *Elias quidem venturus est*; quod vero ait Eliam etiam iam venisse; non ideo negat quod prius dixerat, sed stabilit; Ioannes enim Baptista venerat *in spiritu & virtute Eliæ*, Lucæ 1. præcursor scilicet in primo aduentu, sicut Thesbites futurus est in secundo, quem Malachias dicit diem magnum & terribilem. *Quomodo in spiritu & virtute Eliæ? hoc est, idem suscipiet ministerium; & sicut Ioannes fuit præcursor prioris aduentus; ita ille quoque erit præcursor secundi & gloriosi aduentus, & ad id seruatur.* S. Chrysostomus hom. 4. in 1. Thessa.

§14. In medium veniat ipse Apocalypseos textus. *Ciuitatem sanctam calcabunt* Gentes *mensibus XLII. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra in conspectu domini terræ stantes. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum, & si quis volet eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ eorum: & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunq;*

voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non sinent poni in monumentis, & inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iucundabuntur: & munera mittent inuicem, quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant super terram. Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à D E O *intrauit in eos. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audiuerunt vocem magnam de cælo, dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nube: & viderunt illos inimici eorum.*

§15. Quid de his testibus fabulantur Prædicantes? *Duos* exponunt multos; *duo testes, duæ oliuæ, duo candelabra*; sunt omnes illi, qui Pontifici resistunt, & restiterunt; quos Antichristus occidet, vt Ioannem Hus, Hieronymum Pragensem, Hieronymum Sauanorolam; *& hi duo prophetæ* ait Ioannes, id est, tres, imo multi; *post dies tres & dimidium*; pluribus, vel etiam centum post annis reuixerunt; quando D. Lutherus & alij contra Papam docere inceperunt. Hæc Heilbronneri sunt insomnia, folio 339. Eadem Hunnius to. 1. operum Latinorum folio 1417. & 1418. qui Hussum canonizat: DIVVS Ioannes Hussus. O fabulas! Hussus & Hussitæ, vt taceam alia, occisi sunt Hierosolymis, *vbi Dominus crucifixus est?* O deploratos Prædicantes! suamet fabulosa interpretatione eo deuenerant, vt ostenderent aliquot ex decem seculis, qui pro vera fide; (quam volunt in Augustana Confessione explicari) sanguinem fudisset; & nemine inuento nominant Hussum, & Hussitam Pragensem; & monachum Sauanorolam; qui Missæ sacrifi-

facrificium, & feptem facramenta, ac pleraque alia professi funt; adeoque fi Prædicantes audimus, Deum Maozim adorarunt; figno beftiæ inufti funt. Huffus in replica contra Prædicatorem Plznenfem fcribit de B Virgine; *Facta eſt poſt ſuum filium primum medium humano generi ad ſaluandum; ſine cuius ſuffragio impoſſibile eſt ſaluari aliquem peccatorem*: Cœlibatum aftruit in fermone, de pace: *Caſtitatem maxime tenentur ſeruare vltra communem populum clerici, tum ratione Diuini præcepti, tum ratione voti proprij, tum ratione ſanctiſſimi miniſterij, tum ratione vtilis exempli.* Idem in quæftione de Credere: *Non credendum eſt in Papam, vel in auctoritatem Papæ; ſed credendum eſt, quod Papa ſit immediatus Vicarius* IESV *Chriſti, & ſupremus Sacerdos hic in terris ratione officij, ſi & in quantum immediatus imitatur dominum* IESVM *Chriſtum, habens auctoritatem abſoluendi & excommunicandi, Indulgentias dandi, & alia, quæ ad claues pertinent, extremè faciendi.* Non latuerunt hæc Lutherum, qui in Affertionibus, art. 30. to. 2. Witeber. Anno 1546 impreffo, folio 115. fcribit. *Non recte faciunt, qui me Huſſitam vocant: non enim mecum ille ſentit.* iniufte tamen damnatum queritur; fed fubdit: *Niſi forte ideo permiſſus eſt exuri, quia* NON PARVM *detulit Romano idolo, & ſuis* SATANICIS *inſtitutis operationibusq. erroris. Non repugnare videtur Huſſus, quo minus ſit Monarchia Papæ; hoc tantum agit, impium Pontificem non eſſe membrum Eccleſiæ.* Huffo adhæfit Pragenfis. Sauanorola proprium libellum de facrificio Miffæ confcripfit; de facramentis fcribit lib. 1 de fimplicitate Chriftianæ vitæ, conclúf. 11. *Eſt ergo ſciendum, quod horum ſacramentorum poſſunt quædam iterari & quædã non. Nam ea quæ imprimunt characterem, qui indelebilis eſt, iterari non poſſunt; vt Baptiſma, Confirmatio, & Ordo. Quædã autẽ iterari poſſunt, ſed non frequentari, vt matrimoniũ, & extrema vnctio. Quædã vero & iterari, & frequẽtari poſſunt; vt pœnitẽtia & Euchariſtia.*

 Si Chri-

Si Christi martyr est, quomodo laudat bestiæ characterem? quæ tua de sacramentis Confirmationis & Ordinis blasphemia est. Idem Romanam Ecclesiam professus est, lib. eod conclus. 1. *Verus Christianus quoad cultum diuinum, relicto omni superstitioso vel etiam superfluo cultu, Deum omnipotentem colit intrinsecus per fidem, spem, & charitatem: extrinsecus vero eo modo & ritu, quo Christus, Apostoli, & sancti Patres, sanctaque Romana Ecclesia hactenus ordinauerunt, & inposterum ordinabunt.* Cur ergo combustus est? ob mendaces & seditiosas prophetias, nec non ob contumaciam, & Excommunicationis contemptum; ad quæ humanæ gloriæ aucupandæ; & vt deposito Papa, ipse vel Papa, vel ab eo proximus fieret, se delapsum esse confessus ante mortem est, vt refert Nauclerus to. 2. generat. 50. quamuis sint, qui eum ab huiusmodi criminibus vindicent. Alexandri VI. personam, eiusq; censuram tanquam iniquam contempserit; Romanæ Cathedræ primatum, Ecclesiæ Romanæ dogmata, quæ vobis horrendæ idololatriæ, & in Christum blasphemiæ sunt, ad mortem vsque tenuit. Dicite, an ad Christi martyrem sufficiat Pontifici resistere; & in Martyrum censu erunt Anabaptistæ, Trinitarij, Caluinistæ, & alij inferi Iouis aulici. Sin integram & ab omni Hæresi puram fidem in martyre requiritis; cur Martyres & DIVOS scribitis, quos notissimum est ea tenuisse, quæ vos idolomaniam, & Antichristianæ doctrinæ capita esse proclamatis?

§16. Manifestæ quoque vos imposturæ conuincunt, quæ ex capite 13. Apocalypsis allegas. Nam Monarchia & tyrannis Antichristi prædicitur non diu duratura; *data est ei potestas menses 42.* idem dixerat cap. 11. *ciuitatem sanctam calcabunt mensibus 42.* consentit numerus annorum à Daniele descriptus, cap. 7. *tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora:*

tempora, & dimidium temporis; idem habetur cap. 12. & Danielis & Apocalypſeos, & intelliguntur anni tres & dimidius, vt omnes vno ore veteres expoſuere; qui anni conſtituunt menſes 42. ſed nec dierum numerum tacuit Scriptura; *dies 1290.* Danielis 12. hi dies nec plures, nec pauciores menſes conficiunt quam 42. ſuperant 10. diebus; ſed dies 10. cum menſem integrum non faciant; nec menſium numerum augent. Apocalypſis 11. exprimuntur dies, quibus prædicabunt Enoch & Elias, *prophetabunt diebus 1260.* totidem dies ſæuiet crudeliſſima Antichriſti perſecutio, vt habetur Apocal. 12. Habemus ergo annos, menſes, dies; tot tamque conſentientes Scripturas. Et cæci mortales Prædicantibus credunt ex ſacris litteris euidens eſſe Antichriſtum iam 1000. annis regnaſſe, immanemque tyrannidem exercuiſſe. Dies 1260. exponit Prædicans fol. 356. annos 1260. quibus regnaturus ſit Antichriſtus; & hoc ad oculum demonſtratur ex Ezechielis 4. & Danielis 9. vbi dies pro anno ſumitur; tametſi in illis locis nihil de Antichriſto tradatur. Miſeri, cur in tot Scripturarum de Antichriſti duratione conſenſu ad alias Scripturas omnino impertinentes deflectitis? Eadem ratione quis probabit circumciſionem olim factam octauo anno; quia Ezechielis 4. ſcriptum eſt, *diem pro anno dedi tibi.* ne piſo amplius locus iſte ad Antichriſtum, quam ad circumciſionem pertinet.

§17. Sed alio vos duco. Si Miſſa, & ſacrarum Reliquiarum veneratio eſt Deus Maozim ab Antichriſto adoratus, cum ea in Eccleſia iam vltra 1260. annos continuata eſſe certum ſit; ſequitur iam periiſſe Antichriſtum. De cuius initio tu tam recte & obſcure loqueris folio 398. vt qui legant non intelligant. *Quid ad noſtrum αἰνιγματιστήν, cuius libros multo difficilius eſt noſſe, quam vincere?* ait de tuo Iouiniano

niano noster Hieronymus lib. 1. cap. 1. ego de hoc loco. Probas multo diutius, quam tres annos & dimidium potestatem Antichristi duraturam; quandoquidem teste Apostolo *mysterium iam operatur iniquitatis.* 2. Thessa. 2. statim subiungis. *Ergo regnum Antichristi, si dies computetur pro anno, 1260. vel secundum Danielem 1290. annos durabit. si vlterius interrogetur, vnde huiusmodi annorum computus initium sumat, respondet Angelus Danielis 12. Cum completa fuerit dispersio manus populi sancti; complebuntur vniuersa hæc. dispersio autem populi, id est, Christianorum completa est, quando Romanorum Imperator Constantinus Anno Christi 312. factus est Christianus.* Odisti lucem, cui tenebras offundis. si Antichristus cœpit Apostoli tempore; ergo iam effluxerunt anni à Daniele & Ioanne descripti. quid prophetam, & Apostolos tanquam discrepantes inter se committis, nisi vt Scripturarum hac de re splendorem obnubiles? S. Paulus scribit suo tempore operari mysterium iniquitatis; non quod tunc venerit homo peccati, & filius perditionis, quem venturum primum aperte monet; & hic est Antichristus; sed quia tyranni Ecclesiam persequebantur, quæ vmbra quædam & figura erat persecutionis sub Antichristo futuræ; sicut & Hæreses Antichristianæ perfidiæ idea sunt & formula. Dies 1260. prædicabunt Elias & Enoch; totidem diebus magna Ecclesiæ pars in specubus & solitudinibus ob persecutionis immanitatem latitabit; post quos dies fulgebit in suis fortissimis, qui prophetas æmulati tyranno resistent; ipsius vero tyranni Monarchia erit 1290. dierum, vt clare pronunciat Daniel. Quid sentias, cum ais Danielem intelligendum de 1290. annis, qui inceperint anno Christi trecentesimo duodecimo, nemo facile diuinauerit; nisi velis annos, de quibus Daniel prophetat, abhinc quinquennio iam completos esse; quandoquidem

ab an-

ab anno trecentesimo duodecimo Christi fluxerunt anni 1295. Videris ipse quæ scribas non intelligere.

§18. Capite 14. Apocalypsis describitur Virginum gloria; cui oggrunnit ex Lutheri hara porcus folio *360. 362. 620. 626.* virginum nomine intelligi etiam nuptas, si fidem puram retineant. admitterem hunc moralē sensum, si non negares litteralem & proprium, secundum quem de innuptis & incorruptis loquitur S. Ioannes, vt S. Hieronymus aduersus Heluidium alijque interpretantur; & textus ipse probat: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt.* Negas virgines, quarum centum quadraginta quatuor millia inter tuos inuentum iri merito desperas. De Antichristo agimus; quem si appellemus omnem Christi doctrinæ & moribus contrarium; ausim dicere nullum vnquam Christo Virginitatis fonti, ex Virgine orto, Virginum vnico sponso tantum aduersatum esse, nec ex Epicuri schola Ethnicum, quantum aduersatus est Lutherus; parcerem Christianis auribus, sed vt Lutherani agnoscant, qualem bestiam eis Prædicantes tanquam virum ad reuelandum Antichristum diuinitus electum collaudent, refero, quæ cum fastidio describo ex tomo 5. edito Witebergæ, Anno 1554. folio 119. *Vt non est in meis viribus situm, vt vir non sim, tam non est etiam mei iuris, vt absque muliere sim. Rursum, vt in tua manu non est, vt fœmina non sis, sic nec in te est; vt absque viro degas. Nec enim libera est electio, aut consilium, sed res natura necessaria, vt marem fœmina, fœminam mari sociari oporteat. Verbum enim hoc, quo Deus ait; Crescite & multiplicamini, non est præceptum, sed plus quam præceptum, diuinum puto opus, quod non est nostrarum virium, vel vt impediatur, vel omittatur, sed tam est necessariū, quam vt masculus sim. MAGISQVE necessarium, quam edere, bibere, purgare, mucū emungere, somno & excubijs intentū esse.*

Insita est natura & indoles, æque ac membra quæ eo pertinent. Sequuntur adhuc crassiora. Sacrilege Monache, Ioannes Baptista, Virgo Maria, Christus Dei filius ederunt, dormiuerunt; homines fuerunt. non audeo obijcere, quæ horreo concipere. Hoc solum dicam, quod tibi simillimo Monacho Iouiniano S. Hieronymus lib. 1. cap. 21. Si insita est natura; *nunquam ergo cessemus à libidine; ne frustra huiuscemodi membra portemus. Cur enim maritus se abstineat ab vxore? cur casta vidua perseueret, si ad hoc tantum nati sumus, vt pecudum more viuamus? aut quid mihi nocebit, si cum vxore mea alius concubuerit? Quomodo enim dentium officium est mandere, & in aluum ea, quæ sunt mansa transmittere, & non habet crimen, qui coniugi meæ panem dederit: ita, si genitalium hoc est officium, vt semper fruantur natura sua, meam lassitudinem alterius vires superent, & vxoris, vt ita dixerim, ardentissimam gulam fortuita libido restinguat.* Hæc noui & prodigiosi Iouinianismi corollaria sunt.

§19. Capite 16. Apocalypsis vidit Ioannes *de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.* Et hæc demonstrant Papam esse Antichristum: dic, Lutherum, Caluinum, Zuinglium, Antichristi spiritu potos ostendunt. Ranæ & cyniphes sunt, vt 1100. abhinc annis docuit B. Vincentius Lirin. cap. 14. contra Hæreses, qui reclamant: *Nobis auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis, reijcite antiquam fidem, paterna instituta, Maiorum deposita, & recipite, quænam illa tandem? Horreo dicere, sunt enim tam superba, vt mihi non modo adfirmari, sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur.*

§20. Capite 17. & 18. Apocalypsis describitur meretrix Babylonica. Babylonis nomine significari Romam, qualis fuit sub tyrannis Imperatoribus, vel erit circa mundi

excidium, quando à ſuo Pontifice apoſtatabit, ſponte admittimus; nunc vero Petri tenet Cathedram, Religionis arx & caput eſt. Mulieris mentio non ſiuit te obliuiſci fabulæ de muliere Romæ Pontifice, Ioanne IIX. quod factum à toto Chriſtiano orbe tanquam rem certam habitum eſſe mendaciſſime affirmas folio 363. fabulam rancidam eſſe clare intelliget, quisquis legerit, quæ ſuper ea ſcripſere Cardinalis Baronius tomo 10. Annalium Eccleſiaſt. ad annum Chriſti 853. Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 24. Nicolaus Serarius lib. 1. Moguntiacarum rerum cap. 41. & 42. & in concione quadam Germanica Georgius Scherer, hanc cum legiſſet Lutheranus adeo pertinax, vt ſolum mallet, quam hæreſim mutare; dixit ſe cetera omnia Lutheranum eſſe, deinceps tamen nunquam crediturum, fuiſſe Pontificem Romæ vllam feminam.

§ 21. Alterum, non minus fabuloſum, profers folio 365. commentum. Scribit S. Ioannes: beſtiæ *ſeptem capita ſeptem reges ſunt: quinque ceciderunt; vnus eſt; & alius nondum, & cum venerit, oportet illum breue tempus manere.* *Hi ſeptem reges*, exponis, *inueniuntur in ſeptem regnis Occidentis; Italia, Hiſpania, Germania, Gallia, Hungaria, Polonia, Britannia; ex his quinque, Germania ſcilicet, Gallia, Hungaria, Polonia, Britannia ceciderunt; quia in omnibus aliqui ſtatus & ciuitates à Pontifice defecerunt; vnum manſit, nempe Italia; ſeptimum necdum venit, id eſt, Hiſpania, quæ ſerius Pontifici parere cæpit.* Quot verba, tot fabulæ. vt taceam inſignem iniuriam in Occidentale imperium, quod intelligis per beſtiam, quæ de abyſſo aſcendit; huius Imperij nonne regna ſunt Suecia, Bohemia, Dania? cur præteris? quare Polonia & Gallia ob longe pauciores cecidiſſe dicitur; quæ Reges habet Catholicos? & vide quales ſint Heroes, quos à Pontifice defeciſſe

refers. In Germania Lutherani, in Gallia Hugonotti, in Anglia Caluinistæ, qui tot annis mulierem papissam habuerunt; in Polonia Ariani seu Trinitarij; in Hungaria ex omnibus sectis aliqui Hispaniam serius paruisse Pontifici, quam Poloniam, Hungariam, anistorisia tua; ad breue tempus manere, apertum mendacium est. Veritas ista: per bestiam, quæ fuit, & non est, & ascensura est de abysso, intelligitur diabolus; qui ante Christi aduentum toto passim orbe adorabatur; à Christo eiectus foras, Ioan. 12. tempore Antichristi reuertet, *habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*, Apocalyp. 12. Per 7 reges intelliguntur, qui septem mundi ætatibus diaboli Satrapæ iustos persequuntur; ceciderunt, qui in 5. ætatibus ab Adam vsque ad diluuium; à diluuio vsq; ad Abraham, cui primo promissus est Christus; ab Abraham vsq; ad Dauid, cui reprobato Saule, regnum cum successione traditum fuit; à Dauid vsq; ad captiuitatē Babylonicā; ab hac vsq; ad Christum vixerunt; sunt adhuc, qui ætate sexta Ecclesiā persequuntur; circa finem ac decrepitam quasi ætatem mundi erit regnum Antichristi, quem *oportet breue tempus manere*.

Caput IV. An superioribus seculis Papa habitus fuerit Antichristus.

Ponit hanc quæstionē Prædicans. quis non exspectaret catalogum testium doctrina & moribus probatissimorum? nam *malis displicere, laudari est*, inquit sapienter Publius mimus. Ex tanto, qui his 1000. annis vixerunt, historiographorum numero delegit sibi stultus Prædicans hominem nostri temporis, quem nec Catholicum, nec Lutheranū dixerim, Ioannem Auentinum; ex quo vno refert Pontifices à nonnullis vocatos esse

esse Antichristos. Et qui sunt illi? Fridericus Imperator II. cum suis fautoribus; qui Bauariæ Ducem opera sicarij occidit: periurij multoties reus; multas Cathedrales, aliasque Ecclesias, ac Monasteria iniquissime fere bonis omnibus spoliauit; & ideo à Gregorio IX. excommunicatus, ac tandem in Oecumenica Lugdunensi Synodo sub Inocentio IV. omnium consensu ab Imperio depositus est. de quo ante alios Albertus Abbas Stadensis, qui eodem tempore vixit. Alter est Mæinardus Tirolensis à Nicolao IV. excomunicatus: tertius est Ludouicus IV. à Ioanne XXII. eiusq; successoribus Excomunicatus. Hi sunt Principes, qui Papam nominarunt Antichristũ. Tua nunc vitia numera. 1. Producuntur Imperatores & principes; qui in armis potius, quam sacris & Ecclesiasticis Scripturis exercitati erãt; 2. hostes Pontificis, ob dissidia quæ inter ipsos fuerant: 3. quod caput est, illi in Pontifice vitam, mores, temporalem dominatũ oderunt; fidem & Religionem sequebantur; sacrificium Missæ, Sanctorum inuocationẽ, & cetera Romamanæ vniuersalis Ecclesiæ dogmata firmiter credebant; à Pontificibus corruptã fidei sinceritatẽ; eosq; esse Antichristum illũ, quem Scripturæ venturũ prędicant, ne p somniũ quidẽ cogitabant; adeoq; ad rem præsentẽ nihil pertinent. Ludouicus sane Imperator in sanctis secundũ Deum colẽdis, erigendis ad Missæ sacrificium aris egregie pius fuit, vt constat ex plurium fundationũ litteris. Fridericus II. post latam in se Excomunicationis sententiam in Pontificem exacerbatus sedem Apostolicã tamen venerat⁹; ad Cardinales scribit; *Fridericus, &c vniuersis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, dilectis amicis suis*, Et in ipsa ep. *Angit nos altiori mente turbatio, quod dum nos intendamus à persequente defendere, oporteat nos grauius offendere resistentes, salua in omnibus Ecclesiæ sanctitate, quam cultu sacro, & debita reuerentia corde & corpore veneramur.*

 §2. Con-

§ 2. Contra Gregorium VII. virum sanctitate & miraculis clarum producis Eberhardum Salisburgensem Episcopum, & tuum Auentinum; passus est fortissimus Ecclesiasticæ libertatis aduersus Henricum IV. Imp. propugnator plures aduersarios, qui personam quoque, non Petri cathedram calumniabantur tanquam Antichristi regnũ; sed optimi Pontificis virtutem commendant SS. Anselmi Cantuariensis & Lucensis, & plures eius synchroni historici; alijque quorum triginta duos recenset Bellarminus lib. 4. de Pontifice; cap. 13. Ipse Auentinus multa quidem ex anonymo quodam sine vlla auctoritate contra Gregorium scribit; eundem tamen defensum refert lib. 5. Annalium, pag. 579. ab Anselmo Lucensi Episcopo, & Guilielmo Hirsuno, *qui suam causam*, inquit, *seque iustos esse miraculis post mortem declararunt*. idem de Henrico folio 563. *Henricum stupris, amoribus, impudicitiæ, & adulterij flagrasse infamia, ne amici quidem negant.*

§ 3. Extra versum disputans folio 377. contendis animam corpori, spiritualem potestatem temporali subesse. Doles Imperatores à Pontificibus, Pontifices vero non ab Imperatoribus confirmari. Carolum Magnum negas à Leone III. Imperatorem factum; *quia quod Papa non habuit, id non potuit alteri dare: sed Papa non habuit Imperium:* at habuit ius conferendi imperij; an princeps aut magistratus, qui tibi Prædicantis munus & officium tradidit, ipse illud habuit, ac Prædicans fuit? A Pontifice Imperatorem iussum esse Carolum, ex historicis euincit Bellarminus lib. 5. de Pontifice, cap. 8, idque tam certum est; vt Magdeburgenses tui Centuriatores centur. 8. cap. 10. negare ausi non sint. Fauet tibi Sigebertus, quia fauit etiam Henrico IV. Imperatori, iniquior Ecclesiasticæ libertati: ex quo tamen Gratianus accepit Capitulum 22. distin. 63. quod iure à

Sige-

Sigeberto in Henrici gratiam confictum creditur; narrat enim rem ante CCCXXXIIX. annos gestam; & à nullo antiquiore conscriptam. Sequentis 23. Capituli, eadem distinctione, itidem vacillare auctoritatem discet, qui legerit Cardinalem Baronium tomo 9. ad Annum 774. & tomo 10. Anno 964. Quoties te docebimus, non omnia quæ in Iuris corpus compilauit Gratianus, à nobis tanquam sacra & indubia recipi? Verum ponamus vtrumq; Capitulum esse sincerum; à Romana sede concessum fuerit Principibus de illa bene meritis, atque ad propulsandam hostium vim, vt sede vacante ipsi in Pontificem eligendum dignum aliquem nominarent, aut electum approbarent; id non proprium Imperatoris ius, sed priuilegium fuit, quod vt non semper erat, ita tolli poterat; & iamdudum legitime, si vnquam fuit, sublatum est.

Caput V. De argumentis, quibus probatur Pontificem non esse Antichristum.

Satis id superque demonstratum est; & responsa tua sunt inscitia, crassissimoque errore plena. Cap. 3. folio 352. somniabas de quodam inter nostros Theologos dissidio; stoliditatem tuam tacui; neque enim centesimam eius partem persequor; sed quia redis hoc cap. folio 384. transire nolui. Assertum est, per bestiam habentem cornua duo, Apocal. 13. ver. 7. non intelligi ipsum Antichristum, sed eius quendam præcursorem, seu armigerum, vt loquitur S. Irenæus, lib. 5. cap. 28. tu opinaris per hoc negari, quod illo capite de Antichristo agatur, de quo tamen agi Bellarminus alijque asserunt. duæ bestiæ à Ioanne visæ referuntur, prior omnino Anti-

 christum

christum designat; altera eius anteambulonem. quæ de nomine & signo bestiæ ibidem traduntur, dic quis neget ad Antichristum pertinere? ex vtroque vestrum de Antichristo impium figmentum valide euertitur.

§ 2. Apocalypsis 13. traditur de bestia bicorni, qui famosus Antichristi præcursor erit; *faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere vel vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius Hic sapientia est. Qui habet intellectum computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Neutrum expletum esse intelligit, quisquis verba intelligit. Ex quibus etiam compertum est, Antichristum fore vnum singularem hominem, vnius nominis; non multos sibi succedentes diuersorum nominum Pontifices. Agnosciris ipsi Antichristum habiturum nomen, cuius numerus sit 666. si ille reuelatus est, certum & indubium eius nomẽ pandite. Ais f. 385. id esse λατεῖνος. at nullus vnquam sic dictus est Pontifex; nec quia in Latio residet, dici potest eum Latinum vocari: quis enim ferat ista, Imperarori nomen est Pragensis; Duci Bauariæ Monachiensis? vt taceam, Latinus, si sine Grammaticæ peccato scribatur, λατῖνος scilicet, non comprehendere numerum 666. S. Irenæus lib 5. c. 30. quia Latinorum tunc latissimum erat regnũ, conijciebat nomen Antichristi futuri potentissimi Monarchæ fore λατεῖνος, probabiliꝰ tamẽ credebat vocatum iri τειτάν; propriũ vnius hominis futurum, & S. Irenæo, & omnibus sanctis Patribus certum erat.

§ 3. Non conuenire in Romanos Pontifices, quæ de charactere Antichristi Scriptura docet, euidentissimum est. Hunc characterem fol. 415. blasphemas esse eum, qui in Confirmationis sacramento fronti imprimitur; & in sacerdo-

cerdotis consecratione dexteræ manui; vtrumq; nos characterem agnoscere ais. si de stabili, & permanente charactere id affirmas, mentiris; nam virtute sacramentorum illorum profitemur characterem imprimi in anima, non in fronte, aliaue corporis parte; qui character spiritualis & inuisibilis est; ac proinde nec externum Antichristi signũ esse potest. si de charactere, quo in sacramentorum susceptione corpus consignatur, loquaris; id non Antichristi, sed crucis Christi signum est; quod cum statim transeat, quomodo ex eo, quod non est, Christi fideles discernentur ab Antichristi ministris? Dicis fol. 116. manere ad modum, quo baptismus manet. belle; nihil enim baptismi manet, quo homo alterum ex fronte aut manu cognoscat, an baptizatus sit. An non hæret tibi aqua? accedit; falsum esse omnes à nobis ad Ordinis aut Confirmationis sacramentum adigi; vtrumque libere adeunt fideles. sed & quam veri speciem habet, Antichristum virum secundum voluntatem diaboli fictum, S. Crucis signum assumpturum; quod dæmones adeo fugiunt, & horrent? Audi sanctitate & vetustate celeberrimum Ephræm tract. de consummatione seculi; *Dabit hoc suum signum scelestus ille, non quidem promiscue pro quolibet corporis membro, ne hoc graue sit atque molestum ipsis; sed in dexteram manum, ac frontem insculpturus est homini characterem hunc suum impium: ne scilicet facultas sit homini dextera se signandi, signo Christi Saluatoris nostri; neque rursus in fronte vllatenus tremendum sanctúmque Domini nomen imprimere queat; neque etiam gloriosam atque formidabilem Saluatoris Crucem insculpere. Nouit quippe infelix ille, per impreßionem Crucis Domini potestatem sibi omnem ademptum iri. Quamobrem signat hominis dexteram, quod ea scilicet cuncta nostra membra signemus; similitérq; frontem, quod illa candelabri in modum lucernam lucis, hoc est, signum Saluatoris nostri in altum præferat.*

§ 4. Antichristum ex Iudæa stirpe oriturum; circumcisum iri; inprimis Iudæos in suas partes solicitaturum; & Hierosolymis, non Romæ sessurum ex Scriptura & Patribus demonstrat Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, cap. 12. & 13. Tibi nimia cereuisia mentem abstulit, vt quæ suo stant loco in gyrum verti æstimes; Bellarminum ais folio 404. vertiginis spiritu laborare; quia cap. 13. tenet per meretricem Babylonicam intelligi ciuitatem Diaboli, seu impiorum vniuersitatem; cum tamen eodem lib. cap. 2. fateatur in cap. 17. Apocalysis agi de Antichristo. Quis negat Matth. 2. agi de Christo? ergo contradicit sibi, qui non fatetur Herodem & Archelaum, de quibus ibidem scribitur, esse Christum? Vt omittam Bellarminum referre S. Augustini; & aliorum expositionem, ipse vero tanquam probabilius tradit Babylonis nomine intelligi Romam, non qualis nunc est, sed qualis fuit & futura est, Ethnicam, idolorum cultricem, Christianorum persequutricem; in qua tantum abest vt sessurus sit Antichristus, vt vel ante Monarchiam Antichristi, vel sub initium eius à decem Regibus euertenda sit; de quibus Apocalyp. 17. *hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Decem vero Reges erunt circa aduentum Antichristi; quorum tres ipse delebit, septem sibi subiugabit; vt ex Danielis 7. discimus; in quem locum S. Hieronymus. *Ergo dicamus, quod OMNES Scriptores Ecclesiastici tradiderunt: in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum esse regem paruulum, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est, Ægyptiorum regem, & Aphricæ, & Æthiopiæ; sicut in consequentibus manifestum dicemus. Quibus interfectis etiam alij septem reges Victori colla submittent.*

Caput

Caput VI. Vtrum in Christiani orbis iniuriam cedat dogma de Pontifice Antichristo.

CRandis blasphemia est in cœlestis Patris erga nos prouidentiam; contra Christi facta Ecclesiæ promissa; in sanctum Spiritum, quod tantarum Ecclesiarum, tot seculis, *nullam respexerit Spiritus sanctus, vti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor veritatis, neglexerit officium* DEI *villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat.* Tertullianus cap. 28. de præscriptionibus.

§ 2. Deinde, tot millia Sanctorum damnantur, quod Antichristo adhæserint; omnes Patres & Doctores arguuntur, quod Scripturas non intellexerint, & à genuino sensu longissime aberrauerint. Obijcis folio 432. à nobis quoque relinqui vnanimem consensum Patrum; de prope instante Antichristi aduentu; sed Bellarminus lib. 3. de Pontifice, cap. 3. quem citas, asserit Catholicos etiam errasse in hoc, quod putarint mundi finem propinquiorem esse; subdit, omnes veteres id suspicatos intuitu malitiæ suorum temporum; omnes scilicet, qui mundi excidium in foribus esse iudicabant; quam tamen non omnium fuisse sententiam patet ex SS. Iustino, Irenæo, Hilario, & alijs, quos eodem cap. refert Bellarminus sensisse mundum duraturum sex millibus annorum: item, Bellarminus non ait hanc fuisse certam sententiam; sed suspicionem; quam habere potest, qui contrarium probabilius iudicat. Quicquid sit, non imponitur Patribus inscitia in Scripturis interpretandis, & fidei articulis, aut vllo dogmate, quod

vnanimiter tanquam certum & indubitatum receperint. *Patribus hac lege*, inquit S. Vincentius Lirinensis, cap. 39. contra Hæreses, *credendum est, vt quidquid, vel omnes vel plures, vno eodémq; sensu manifeste, frequenter, perseueranter, velut quodam sibi consentiente Magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmauerint, id pro indubitato, certo, ratóq; habeatur.*

§ 5. Præterea hæc insania vestra summam iniuriam irrogat toti Ecclesiæ, ac Romano Imperio, omnibus statibus tam Ecclesiasticis quam politicis. Nam si Romanus Pontifex est, & fuit iam à 1000. annis, vt fol. 387. & fol 390. occinis, quin ab annis 1166. vt sensit tuus Georgius Nigrinus, cuius delirij vndecim ex illo argumenta repetis, folio 394. rectè nostri intulerunt, consequi omnes Imperatores Gallos, ac Germanos Imperium, & Principes Germaniæ Electoratus dignitatem à bestia, qui est Antichristus, accepisse; nam à Pontifice ea haberi certum est, & demonstrat Cardinalis Bellarminus in libello de Translatione Imperij. Tu passim sacri Imperij, eiusq; Principum Maiestatem ore maledico incessis. Folio 355. Bestiæ capita ponis Italiam & Hispaniam, quæ vulnerata erant; sed sanata sunt, quando Carolus Magnus Longobardos Italia; Ferdinandus Aragonus Saracenos, Iudæos, & Mahometanos Hispania pepulit. Fol. 358. Verba Apocalypsis: *datum est illi* (bestiæ alteri) *vt daret spiritum imagini bestia* (prioris) *& vt loquatur imago bestia*; exponis de Pontifice, qui *imagini Imperij Romani* Spiritum dare studet; quia Romanum Imperatorem approbat, vngit, consecrat, coronat, & ab eo iuramentum fidelitatis exigit. Fol. 363. *Cum meretrice Babylonica, id est, Pontifice fornicati sunt Reges terra, magnam illi exhibuerunt reuerentiam, genu coram eo flexerunt; mandata illius probarunt*, &c. Quod Carolum Magnum, Ludouicum Pium, aliosq; Christianissimos Reges, & Principes fecisse notum est.

est. Fol. 415, Sacro Chrismate, & Dominica cruce in fronte signati *bestiæ characterem* acceperunt; adeoq; tanta Imperatorum, & in Illustrissimis familijs Principum series hoc infami bestiæ & Babylonicæ meretricis stigmate notata fuit. An non hæc Romano Imperio, quod Prædicanti imago tantũ est, & vestris, ô Principes, maioribus religiosissimis perpetui dedecoris turpissimiq; ꝓbri notã inurunt?

§ 4. Profecto si hoc impium de Antichristo Prædicantiũ dogma recipiatur, sequitur tantos populos Germanos, Anglos, Polonos, Danos, Suecos, Vngaros, Bohemos, &c. nunquam fuisse Christianos; sed Antichristianos; quos constat p Romanæ Ecclesiæ sacerdotes á Gentili superstitione ad Romanæ Ecclesiæ gremium traductos esse; vt vel ex templis in Sanctorum memoriam erectis, fundatis Monasterijs, alijsq; monumentis, historijs, ac scriptis liquet. Ridiculum, quod folio 436. colligis iam dictas Gentes à Pontificibus non esse ad Christi fidem conuersas, cum ab aliquot seculis illi nec concionati sint, nec sacramenta administrarint; quasi vero parta victoria non referatur in supremum belli caput, cuius voluntate, & auctoritate totus exercitus egreditur, & ingreditur; nisi is exerta machæra contra hostes eat; quin solus omnia conficiat. Principi adscribitur, quod per suos præstat; vt prætercam te mentiri, quod multis seculis Pontifices eiusmodi munia non obierint. Sacramenta enim etiã hodie sæpius administrãt; quando concionantur seu exhortãtur in suis Consistorialibus alijsq; conuentibus, mirum est, quod Prædicantes non reddant certiores. Habes Innocentij III. doctissimas conciones; necdum tertium completũ est ab illius ætate seculum; nec ille postremus è suggestu dixit insuper non vox tantum, sed & littera instruit; & tu ipse agnosces Paulum nos plurimum docere, licet concionanté non audiamus.

Litteris ergo Apostolicis, & pluribus modis regunt Pontifices Ecclesiam Dei, tametsi pulpitum non conscendant.

§ 5. Demum, impia ista de Pontifice Antichristo Prædicantium assertio ipsis Augustanæ Confessionis Principibus maxime iniuriosa est; quia diffamantur eam Religionem profiteri, quæ in Imperio nec permissa quidem fuit. Nam hoc dogma non continetur in Augustana Confessione; sicut nec Caluinismus, Anabaptismus, Turcismus, & Iudaismus.

ARTICVLVS XV.

De Ecclesia in terris militante.

Caput I. Vtrum Romana sit vera Ecclesia.

NOn esse probas 10. paralogismis adeo insulsis, vt non à me, sed à quinquenni puello non tam refelli, quam rideri mereantur. exemplo sunt, quæ tanquam validiora in fronte collocas. Argumentum primum; *Vera Ecclesia non est, quæ Romanum Pontificem pro Capite agnoscit, illi in omnibus Religionem attinentibus credit & obedit, tanquam ipse Deus, imo supra Deum esset; atque etiam characterem seu signum illius in fronte seu dextera sua recipit: Romana Ecclesia hoc facit: Ergo* &c. Pontifici suo, sicut Capiti locum Christi tenenti, cohæret Ecclesia, memor illius: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Tu nimis crassus sycophanta es. Alterum argumentum: *Ecclesia, quæ diuinum cultum exhibet creaturis, imaginibus seu idolis non est vera Ecclesia: id facit Ecclesia Pontificia; Ergo,* &c. Meram stropham

pham & calumniam esse intelligit quiuis Catholicus; nec Lutheranum paulo æquiorem recuso arbitrum eorum, quæ hac de re articulo 13. disputata sunt. Forte meliora in medio tanquam tutiori loco reposuisti; tentemus. Sextum ergo argumentum est. *Ecclesia, quæ à recta, vera, vetustissima, Catholica fide defecit, re vera nequit dici recta Ecclesia; Romana defecit à recta &c. fide, Ergo.* Probatissima est Maior; circa Minorem inquiratur, an nos à vobis, vel vos à nobis defeceritis. Vos à nobis exijsse luce clarius est; quandoquidem ipse Lutherus separationis auctor se nostrum, & optimum Papistam fuisse profitetur; *imo submersum in dogmatibus papæ, vt paratissimus*, inquit, *fuerim, omnes si potuissem occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui Papæ vel vna syllaba obedientiam detrectarent.* In præfat. 1. tomo Witeber. Anno 1549. Annum, locum, quando, vbi defeceritis, defectionis principem nominamus; dicite vos quando, vbi, à qua Ecclesia nos recesserimus. Tot ab Apostolorum tempore ortæ sunt hæreses; omnium auctor & origo sciebatur; ea semper Ecclesia veræ fidei custos fuit, cuius post Apostolos nullum sciebatur initium. *Et reuera, quæ vnquam hæresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? quis vnquam hæreses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesia Catholicæ, vniuersitatis & antiquitatis consensione discreuerit? Quod ita esse, luce clarius exempla demonstrant.* S. Vincentius Lirin. cap. 34. aduersus hæreses.

Caput II. Vbi quærenda sit vera Ecclesia.

IN sacris litteris, inquis; ijs, si crederes non aberrares; ostendunt enim tibi Ecclesiam, quam sicut Christũ ipsum audiri præcipiunt, Matth. 18. Luc. 10.

Lucæ 10. hoc fac, & viues. Nunquam vero Ecclesiæ credendum esse, nisi quantum in Scripturis expressum legitur; & quo cuiuis placet modo intelligitur, commune hæreticorum scitum, & κρυφοφυγτον est. At veri Christiani nihil dubitant se *eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit. Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* S. Augustinus, cap. 17. de vtilitate credendi.

Caput III. De nomine Ecclesiæ Catholicæ.

DE hoc nonnihil dixi ad titulum tui libri; hic plene aperis, quantum hoc nomen adames, solos Catholicos vere fideles & Christianos à SS. Patribus haberi nostis; & ideo Catholici haberi vultis; sicut olim Donatistæ *apud se potius esse Catholicam* dicebant; teste S. Augustino in Breuiculo, in collatione 3. diei. Idem contendebant alij hæretici; sed quia nimia huius nominis luce mendacij arguebantur; vim & natiuam significationem eius inuertebant. Sic tu hic Catholicum esse ais idem, quod doctrinam Euangelij, quæ ab Apostolis per vniuersum orbem prædicata fuit; testemq; citas S. Augustinum epist. 170. & lib. de vnitate Ecclesiæ. Augustinus te apertissime hæreticum condemnat; Catholicam esse docet eam fidem, quæ non in vna prouincia, sed toto passim orbe recepta est. Nam si tempore Apostolorum fuisset in plurimis regionibus suscepta; sed iam in vnum co-

acta esset angulum, fuisset olim Catholica, amplius non esset. *Ipsa est enim Ecclesia Catholica*, scribit Augustinus epist. 170. *vnde καθολικὴ græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur*; non ait; diffusa est; *Hanc ignorare nulli licet; ideo secundum verbum Domini nostri Iesu Christi* (Matt. 5.) *abscondi non potest. Pars autem Donati* (Lutheri) *in solis Afris* (Germanis & Danis) *calumniatur orbi terrarum.* Ex cap. 2. de vnitate Ecclesiæ hæc affers: *Maiores nostri Ecclesiam nominarunt Catholicam, vt ex ipso nomine ostenderent; quia per totum est.* Non erubuisti citare hunc librum, in quo Augustinus ex instituto contra Donatistas probat veram Ecclesiam esse, quæ quouis tempore per totum orbem diffunditur; ad quod confirmandum cap. 6. tria loca Genesis, cap. 7. decem ex Isaia; cap. 8. sex ex psalmis; cap. 10. vnũ ex S. Lucæ Euangelio; cap. 11 sex ex libro Actuum adducit: *Date mihi*, alloquitur Donatistas, cap. 6. *hanc Ecclesiam, si apud vos est, ostendite vos communicare omnibus Gentibus, quas iam videmus in hoc semine benedici: Date hanc, aut furore deposito accipite; non à me, sed ab illo ipso, in quo benedicuntur omnes Gentes.* Gen. 22. En, præsentem Ecclesiam exigit toto orbe propagatam; non contentus, quod Apostolorum tantum sonus in omnem terram exierit; hoc vestrum refugium Donatistis patere noluit. Nam & ipsi dicebant se Catholicos, quod integram Christi doctrinam retinerent; quorum vni epist. 48. respondet: *Acutum aliquid videris dicere, cum Catholicæ nomen non ex vnius orbis communione interpretaris, sed ex obseruatione præceptorum omnium Diuinorum, atque omnium sacramentorum,* &c. *sed nempe hoc est totum, quod nobis persuadere conaris, solos remansisse Rogatistas* (Confessionistas) *qui Catholici rectè appellari possint, ex obseruatione præceptorum omnium diuinorum, atque omnium Sacramentorum: & vos esse solos, in quibus inueniat fidem, cum venerit filius hominis.*

Da veniam, non credimus. Nec vobis nos credimus. Et tu acutissimum inuenisti argumentum, folio 458. non rectè describi Catholicum esse id, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditur; nam sequeretur dogma Catholicum esse, quod vinum sit melius aqua. omnino sequeretur, si fides seu Credere Catholicum esset Prædicanticum, qui eiusdem farinæ fide credunt res Diuinas & humanas: at nos Catholica dogmata credimus Diuina longeque certissima fide, qua minime credimus, quæ ob solam naturalem euidentiam tenemus.

§ 2. Catholicæ nomen odisse Lutherum probamus, quia ex Symbolo Apostolorum sustulit, Catholicam; & supposuit, Christianam. Factum fateris folio 459. & Lutherum excusare niteris; sed frustra es; ac pluribus temere assertis implicaris. 1. ais non esse certum, quod ab Apostolis hæc vox vsurpata sit; idque ex 2. aut 3. Patribus colligis, qui huius articuli meminerint, nec vbique vocem illam apposuerint; quamuis alibi eam agnouerint. Eadem ratione magis adhuc curtum dabis nobis Symbolum; nam S. Epiphanius hæresi 72. vbi integrum tenes Symbolum Apostolorum referri, exprimit, quæ explicare placuit, omittit in primo articulo, Patrem; in quarto, Passus, Mortuus; in quinto, descendit ad inferos; in sexto, Dei, Omnipotentis; in nono, Sanctorum communionem. 2. asseris vocem Catholicum inceptam vsurpari sub Arianæ hæresis ortum; en quam versatus sis in sanctis Patribus! ea voce, tanquam notissima multo ante Arium frequens vtitur S. Cyprianus, vt epist. 41. 42. 43. 45. & alibi; quod obseruauit etiam S. Pacianus S. Hieronymi coætaneus in ep. 1. ad Sempronianum, cuius verba affers nescio vnde collecta; nam si ipsam epistolam legisses, te non fugisset Ecclesiam à S. Cypriano appellari Catholicam, cuius auctori-

tate

tate inter alia nomen Catholici S. Pacianus tuetur. 3. falsum est, Christianam in Symbolo à Luthero suppositam, esse interpretationem vocis Catholicam; nam hæc apertius fideles ab hæreticis distinguit. 4. falso allegas S. Pacianum docere nomen Catholici idem esse quod Christianum; nec fuisse tempore Apostolorum; quia tamen postea vsurpatum sit, se illud non contempturum. S. Pacianus aperte hoc nomine contra hæreticos triumphat; tanquam veræ Ecclesiæ proprio charactere. Nec dicit Ecclesiam non appellatam Catholicam sub Apostolis; sed hæreticis concessionis schemate dat, fideles non esse dictos Catholicos. nec hodie communiter vocamur Apostolici, licet Ecclesiam Apostolicam confiteamur. sed audiamus S. Pacianum; qui ad Sempronianum hæreticum scribit: *Sub Apostolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur. Esto sic fuerit, vel illud indulge. Cum post Apostolos hæreses extitissent, diuersisq; nominibus columbam* DEI *atque reginam lacerare per partes & scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret vnitatem, ne intemeratam Dei Virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Quid tot annosi Episcopi, tot Martyres, tot Confessores? Age si illi vsurpando nomini huic auctores idonei non fuerunt, nos idonei erimus negando? Et nostram potius auctoritatem Patres sequentur & emendanda Sanctorum cedet antiquitas, & iam putrescentia vitijs tempora canos Apostolicæ auctoritatis eradent? Nec tamen æstues frater. Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probat, inde significor.* Subdit, eosdem esse Christianos, & Catholicos; non autem, quod idem vtriusq; nominis significatus sit. Nam quis vere Christianus appelletur, ex ipso Christiani nomine tam aperte non euincitur; quod tamen OSTENDIT, PROBAT Catholici cognomen.

Caput IV. V. & VI. De infallibilibus veræ Ecclesiæ notis.



Otæ dicuntur signa, quibus cuiuis etiam illiterato vera Christi Ecclesia manifestatur, quæ proinde tales esse debent, vt vel singulas, vel coniunctim sumptas nullus hæreticorum cœtus sine aperto mendacio sibi vendicare queat. Tales sunt, diffusio Religionis per omnes orbis partes; perpetua Episcoporum in eadem fidei professione successio; singularis plurium sanctitas; quam Deus nullo non seculo certissimis miraculis confirmauit; aliaque huiusmodi; quæ constat in vna Catholica Ecclesia reperiri. Prædicantes, notas istas repudiant; & has duas statuunt; puram verbi Dei prædicationem, & legitimam sacramentorum administrationem; vtramq; plenis buccis Lutheristæ, Caluinistæ, Anabaptistæ, Trinitarij, & ceteri vetusti recentesque hæretici penes se esse clamitant. quomodo rudes plebes veritatem internoscent? iudicabunt scilicet, an hæc fiant exacte secundum Scripturas; quas proinde integras, cum concionem audiunt, in memoria aliquatenus habebunt; & quia fieri potest, vt ab errore pura sit vna concio, & non altera, non poterunt sententiam ferre de sua Ecclesia, nisi diligenter omnibus concionibus adsint. Hæc perspicua vestræ imposturæ signa & notæ sunt. nullus paulo modestior inter vos ciuis fuerit, qui non fatebitur se non posse scire, an omnia, quæ in concione audit, sint Scripturis consentanea; sed concionatori credere.

§ 2. Deinde, si publica, pura Verbi Dei prædicatio, & sacramentorum ex illius præscripto administratio sunt notæ veræ Ecclesiæ: Ergo, multis seculis non fuit vlla vera Eccle-

Ecclesia, vel fuit Romana. Quid ad hoc Prædicantes? expresse admittunt has non esse perpetuas Ecclesiæ notas. Id clarius testatur Hunnius, qui tomo 1. operum Latinorum folio 1325 quæstionem ponit: *Si Ministerium omni ex parte integrum & incorruptum non putas ad essentiam Ecclesiæ requiri; cur igitur Augustana Confessio & Theologi sinceriores has ponunt Ecclesiæ notas, verbum Dei purum, & legitimum sacramentorum vsum?* respondet. *Quando hæc ponuntur Ecclesiæ signa,* PALAM *est, fieri hoc respectu Ecclesiæ in statu proprio suo considerata, non quemadmodum spectatur in conditione ista accidentali, quando lupi inuadunt Ministerium, & doctrinis humanitus incogitatis obfuscant natiuam Ecclesiæ visibilis faciem.* Eiusmodi ergo sunt vestræ notæ, vt quando maxime notis opus erat, illæ Ecclesiæ non adsint: ac tot annorum centurijs Ecclesia vera sine nota fuit; antequam venirent, qui illam scinderent; & se solos veritatem à reliquo orbe exulantem odoratos esse vanissime iactitarent. Nec plura de notis vestris, quia plurima alij.

Caput VII. De perpetuitate Ecclesiæ.

PAradoxa mira parturis. Folio 474. *falsa Ecclesia prope tam diu durauit, quam vera.* Dic. quæ vnquam hæresis inter Christianos 1000. annis perstiterit; tot exortæ sunt, omnes in Ecclesiæ Romanæ petram impegerunt, & dissolutæ sunt; illa sola tot seculis immota perstitit. Ingeris Gentiles & Idololatras; sed & inter eos nouæ frequenter sectæ fuerunt; & *semper esse*, sicut, *vbique esse*, ad hæreticos inprimis à veris Christianis discernendos clara nota est; vt sapienter aduertit S. Augustinus cap. 4. de vnitate Ecclesiæ. *Totus Christus caput & corpus est. Quicunque de ipso capite ab Scripturis sanctis*

dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Item, quicunque credunt quidem, quod Christus Iesus in carne venerit, &c. *sed tamen de eius corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto quacunque diffunditur; sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia.* Eadem illorum ratio, qui Christum agnoscunt; & ab eius corpore Ecclesia, quæ semper fuit, discedunt.

§ 2. Folio 475. fateris: *Aliquot annorum Centurijs nulla alia visibilis Ecclesia fuit, quam Papistica; sed in medio Papatu fuit vera Euangelica Ecclesia.* Inuisibilem fuisse Ecclesiam veram veteres quoque hæretici mentiebantur; illis & vobis respondet inter alia S. Augustinus cap. 14. de vnitate Ecclesiæ. *Non est Ecclesia operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Et de illa dictum est: non potest ciuitas abscondi supra montem constituta. Sed Donatistis* (Pseudoeuangelicis) *operta est, qui audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe esse demonstrant; & malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere.*

§ 3. In Ecclesia inuisibili fuerunt, *1. multi sancti Martyres, qui Pontificijs abominationibus contradixerunt, & ideo interfecti sunt: 2. boni Christiani, qui simpliciter fidem suam Christianam retinuerunt, neminem alium, quam Deum Patrem in nomine Christi, & vnicum suum Redemptorem Iesum Christum inuocarunt; nec in omnibus punctis & articulis boni Papistæ fuerunt; quibus, necdum clara exorta luce, in tam densis tenebris, sufficiebat, si nobis in fundamento Christianæ doctrinæ consenserunt: 3. paruuli ex Christianis nati, & prius defuncti, quam discretionis annos attingerent, vel falsam doctrinam imbiberent.* Hæc tu fol. 477. & 478. Plane inuisibilis vestra est Ecclesia; quis Martyres vestros, eosque multos vnquam viderit? Nominate vnicum,

cum, vel obscurissimum, qui vobiscum consenserit in articulis, quos fidei fundamenta euertere declamatis? Fundamentum vestrum est, Romanæ Pontifici contraire; atque ideo Hussus in sanctis Martyribus est. Vnde Lutherus tomo 1. Witebergæ impresso 1549. folio 409. & 410. scribit, quod doctrina de consilijs Euangelicis sit *horribilis & diabolica blasphemia: Hæc est Theologia vulgatissima Papæ, & Sophistarum, & ita recepta, vt etiam probata sit ab ipso S. Ioanne Hus in eo ipso libro, ob quem passus est ignem.* & tamen sanctus est, licet in diabolica blasphemia mortuus sit. Infantes baptizati non sunt Ecclesia, sicut nec pes est corpus, sed membra eius Ecclesiæ, cuius est baptismus, quem susceperunt; qui Catholicæ Romanæ Ecclesiæ sacramentum est; à quocunq; administretur.

Caput VIII. De natali loco veræ Ecclesiæ.



Era, Apostolica Ecclesia Ierosolymæ incepit; *quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, Isaiæ 2. ergo quæcunque alibi prognata noscitur, spuria intelligitur. Hoc argumentum nostrum est; quo vsi contra hæreticos sunt tum alij, tum S. Augustinus cap. 10. de vnitate Ecclesiæ, expendens Christi verba Lucæ 24. *incipientibus ab Hierusalem: Teneamus* inquit, *Ecclesiam ex ore Domini designatam, vnde cœptura, & quousque peruentura esset, cœptura scilicet ab Hierusalem, & peruentura in omnes Gentes.* Hæreses quo loco ortæ sint constat; solius Catholicæ Ecclesiæ originem etiam inimici eius nominare nequeunt; quia ab Apostolis Hierosolymis fundatam agnoscere nolunt.

Caput IX. De successione Episcoporum in Ecclesia.

CErtissimum pseudoecclesiæ argumentum est; si qui nequeant suorum sacerdotum successionem ad Apostolos vsque deducere; quod soli Catholici præstant. Etsi enim particularium quarundam Ecclesiarum interrupta sit successio; semper tamen in Romana Cathedra viguit; quod telum penetrabile nimis in veteres quoque hæreticos torserunt Patres veteres. S. Irenæus lib. 3. cap. 3. cum enumerasset omnes Romanos Pontifices, subdit; *nunc duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconiatio peruenit vsque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio vnam & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc sit conseruata.* S. Epiphanius hæresi 27. post Romanorum Pontificum Catalogum scribit: *Ne quis miretur, quod singula ita exacte recensemus; per hæc enim semper claritas ostenditur.* Non minus exacte S. Augustinus epist. 165. omnes Pontifices, à Petro vsque ad Anastasium, qui tunc Ecclesiam regebat, recenset; *in hoc ordine successionis*, adijcit *nullus Donatista Episcopus inuenitur*; & capite 4. contra epist. fundamenti; *multa sunt, quæ me iustissime tenent in Ecclesiæ Catholicæ gremio*, &c. *tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, vsque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum.* I nunc proterue Prædicans, & tantis Patribus obganni; successionem Pontificum in Romana Cathedra non solum certum veræ Christi Ecclesiæ signum non esse, sed Scripturis repugnare, quæ Romam Antichristi sedem futuram denuncient. fol. 480.

Caput

Caput X. & XI. De Doctoribus, & auditoribus Ecclesiæ.


Ccleſiam, inquis, ſemper habituros Doctores dubium non eſt, at quod veros ſemper, & à ſpiritu ſancto electos Doctores habitura ſit negas, falſi Doctores non ſunt Doctores, ſed impoſtores. quomodo igitur indubitatum eſſe aſſeris, in Eccleſia quouis tempore fore Doctores? Si intruſi, & illegitimi omnes aliquando fuerunt Eccleſiarum paſtores, ergo non fuit vera Eccleſia; ſed corpus emortuum ſine capite, oculis, &c. imo ſine vlla membrorum diſtinctione. Hoc tantum paradoxum probas *palpabiliter & ad oculum* ex Scripturis, quas nos reticere ais. Ecquæ illæ? Matth. 24. *Multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos* Matth. 18. *Væ mundo à ſcandalis* Act. 20. *Scio*, inquit Paulus, *quoniam intrabunt poſt diſceſsionem meam lupi rapaces in vos.* 1. Cor. 11. *Oportet & hæreſes eſſe.* Cui vel hæc, vel ſimilia quæ ſubijcis loca inciderent, quod ab homine ſani cerebri inducerentur ad probandum, nullos omnino aliquot ſeculis in Chriſti Eccleſia futuros Doctores? id ſi probant, etiam hodie nulli verì erunt Paſtores, ac proinde Prædicantes ſunt lupi rapaces: ipſi quoque Apoſtoli non fuerint Chriſti miniſtri, quia ad illorum quoque tempora pertinet; *Væ mundo à ſcandalis: oportet hæreſes eſſe.* An non ſat multi pſeudoprophetæ eſtis? an non luporum inſtar & animas perditis, & Eccleſiarum bona Chriſti patrimonium diripitis? Cur vniuerſus vobiſcum vlulet orbis?

§2. Vt Chriſtiani, ita quoque veteris populi Doctoribus vos ſoli ſapientiores eſtis; nam *ante Incarnationem & prædicationem Chriſti nullus in toto orbe fuit purus Doctor, f.* 486.

ante vtramque fuerunt Isaias, Ieremias, &c. sed intelligo te loqui de tempore proxime antecedente; & in Doctorum censum recipere prophetas illos; lupi tamen tibi erunt Zacharias Ioannis Baptistæ pater, *iustus ante Deum, & repletus spiritu sancto*, Lucæ 1. *Simeon homo iustus & timoratus, & spiritus sanctus erat in eo*, Lucæ 2. vterque propheta, & cum Lucæ 2, legimus Christum *sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos*; intelligemus sedisse in medio luporum; lupis auscultasse; lupos interrogasse. Vel forsitan Prophetæ & Doctores illi antea lupi erant, & post Christi Incarnationem mox in pastores conuersi sunt. Ipse Ioannes Baptista videretur mihi non satis tutus; qui post Incarnationem, sed ante prædicationem Christi docuit; nisi folio 491. legerem, nullum rectum Doctorem fuisse ante aduentum, & prædicationem Ioannis Baptistæ; te nec rectum, nec obliquum, sed quadratum Doctorem salutauero.

§ 3. Folio 488. negas à vobis non posse vllum Doctorem nominari, qui ante Lutherum vobiscum in omnibus dogmatibus senserit. Agedum, nomina vnicum ab Apostolorum tempore; hoc enim vrgemus: quid hæres? ede, arrectis auribus asto. *Sistimus inprimis*, ais, *Christum Dei & Mariæ filium; Ioannem Baptistam, IV. Euangelistas, Petrum & Paulum.* Communem hæreticis latebram quæris; qui se Christi & Apostolorum doctrinam, non Arij, aliusue tenere mentiebantur; sic veteres Trinitarij in epistola, quam refert S. Athanasius de Arimini & Seleuciæ Synodis agens: *Nos certe inquiunt, Arij sectatores non sumus, neque quum simus Episcopalis ordinis, presbyterum sequimur, neque aliam fidem, præterquam initio traditam, recipimus; quin imo nos ipsi eius fidei examinatores probatoresq; facti, potius eum admittimus, quam recipimus.* Hæ tuæ strophæ; & fraudes sunt. Christi & Aposto-

Apoſtolorum verba partim recipitis; quorum ſenſum adulteratis; introducta nouitia & in Eccleſijs Dei inaudita, fabuloſa, paradoxa expoſitione; quod infame probrum tu hic amoliri debebas, ſed non poteras. do inducias medij, vel etiam integri anni, lege interim ſanctos Patres, dimiſſis Auentino, Polydoro Virgilio, Balæo, eiuſdemq; farinæ Scriptoribus; & vel vnicum ſine manifeſto mendacio nobis manifeſta; qui non à vobis in pluribus fidei dogmatibus diſſentiat. Non poſtulo, vt in ſingulis Patribus omnia oſtendantur dogmata; nonnulla enim quidam non attigerunt; ſed hoc æquiſſime à Catholico, qui eſſe vis, exigitur; vt contra venerabilem Patrum torrentem, ſeu vnanimem conſenſum non nitatur. Et illi Chriſtum, quatuor Euangeliſtas, 12. Apoſtolos ſciebant; quibus *poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit.* qui *Diuinæ familiæ Dominica cibaria fideliter miniſtrantes ingenti in Domino gloria claruerunt.* S. Auguſtinus lib. 2. contra Iulianum. ſed quia Patrum ſententia apertior eſt, ad occultiora quædam ſacrarum litterarum loca confugitis. *Libenter in opertis immoramini, ne fateri aperta cogamini. Ecce Eccleſia. Rogo quid patimini? Ecce Eccleſia tot manifeſtiſſimis ſanctarum Scripturarum teſtimonijs commendata & expreſſa, prædicta & demonſtrata. Sicut audiuimus, ita & vidimus.* S. Auguſtinus cap. 24. de vnitate Eccleſiæ.

§4. Folio 491. Admittis ſemper in Eccleſia fuiſſe veras Chriſti oues; ſed eæ, inquis, Lutheranæ fuerunt. Quæſo, cum vnum ex Patribus Lutheranum probaueris, adijce vel vnicam ouiculam Chriſti, ex probato auctore; quæ Miſſam pro Deo Maozim habuerit; & alia veſtra deliria receperit. Et quomodo credibile eſt, oues veram fidem, quæ, veſtrâ ſententiâ, ex ſolis Scripturis hauritur, ha-

buisse; nullum vero ex pastoribus. an laici forte aptiores sunt ad Scripturas intelligendas, quam Doctores? sed & oblitus videris illarum sententiarum; *Væ mundo à scandalo; oportet hæreses esse*. quæ etiam oues complectuntur; ac proinde aliquot seculis nulla vera Christi ouis fuerit oportet; sicut inde nullum verum Doctorem fuisse conclusisti. His nodis te extrica.

Caput XII. An Christi Ecclesia errare possit.



Hristi sponsam in plura superstitiosæ Religionis adulteria incidisse, calumniantur Deo odibiles Prædicantes; & ad huius insanitatis stabilimentum cumulant Scripturas, in quibus verbis vniuersalibus asseritur, quod vniuersaliter minime intelligitur. de his Augustinus. *Plerumque enim sermo diuinus impias turbas Ecclesiæ sic redarguit, tanquam omnes tales sint, quod tamen omnes non tangit.* Et: *Isti vel imperitè vel fallaciter agentes colligunt de Scripturis talia, quæ vel in malos bonis vsque in finem permixtos, vel de vastatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur, & volunt ea detorquere in Ecclesiam* DEI, *vt tanquam defecisse ac perijsse de toto orbe videatur.* Cap. 13. de vnitate Ecclesiæ. Nam si tota Ecclesia veritatem deseruit; tota perijt; vt vita hominis non consistit sine anima; ita nec Christi Ecclesia sine vera doctrina. Totam vero Ecclesiam errare posse folio 495. probas: *Si omnes particulares Ecclesiæ errare possunt; etiam vniuersalis Catholica Ecclesia errare potest: sed omnes particulares, Hierosolymitana, Antiochena, Ephesina, Romana*, &c. *possunt errare: Ergo etiam vniuersalis.* Vel intelligis Maiorem de omnibus partialibus Ecclesijs collectiue sumptis,

ſumptis, vel de ſingulis loqueris; vtrouis modo ineptus es. priori, petis principium, poſteriori colligis mendacium. neque enim ſequitur; ex 100 panibus poſſum ſingulos comedere; ergo omnes: de ſingulis hominibus incertum eſt, an cras victuri ſint; ergo incertum quoq;, an non cras totum humanum genus ſit periturum. At mitto Maiorem. Minor falſiſſima eſt, quoquo modo intelligatur: falſum omnes ſimul errare poſſe Eccleſias; falſum ſingulas, cum ad Romanæ Cathedræ fideles *perfidia habere non poſſit acceſſum*. S. Cyprianus epiſt. 55.

Caput XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. De regimine, amplitudine, perpetuo in fide conſenſu viſibilis Chriſti Eccleſiæ.

Eccleſia Chriſti in Scripturis Regnum, & ciuitas appellatur; eam omnes audire debent; Matth. 18. in illa peccata dimittuntur & retinentur; hæc & alia cogitari nequeunt ſine publico regimine, & Eccleſiaſtico foro, ſeu tribunali: Ergo cœtus ille, qui nullum tale Regimen ac forum habuit, non fuit Chriſti Eccleſia. Iterum: Lutheranos conſtat ante annum 1517. non habuiſſe tale regimen, de Græcorum, aut aliorum præter Romanam Eccleſiam cœtibus inter nos & vos conuenit, eos non eſſe veram Eccleſiam; ergo ante annum 1517. vel nulla fuit Chriſti Eccleſia, vel Romana fuit. Hæc agnoſco argumenta noſtra, non quæ tu imperite figulas.

§ 2. De Chriſtianæ Eccleſiæ gloria prophetauit Eſaias cap. 49. *Erunt Reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te*; & cap. 60. *Ambulabunt Gentes in*

lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. suges lac Gentium & mamilla Regum lactaberis. Hæc non in Lutherana, sed Romana Ecclesia probantur completa. *Fertur*, inquis, folio 570. *Abgarus Rex ab Apostolo Thaddæo conuersus, de quo Eusebius lib. 1. cap. vlt. Idem lib. 6. cap. 27. refert Philippum Imp. fuisse Christianum; Constantius Imp. Gentilis quidem fuit, sed Ecclesiæ benefecit. Constantinus & alij multi Reges ac Principes fuerunt Christiani.* exspecto, vt nomines vnicum Lutheranum. Noster est Abagarus, & quotquot fuerunt à pietate laudati Reges, ac Principes. De Constantino alijsque eum sequutis nimis clara suppetunt argumenta: per quos etiam prophetiæ impletæ sunt; non per solum Abagarum cuius res gestæ sunt incelebres, nec per Philippos, occultos Christianos; multò minus per Constantium Gentilem; quem maluisti nominare, quam Theodosios, Valentinianos, Clodoueum Galliæ, Eduinum Angliæ, Haraldum Daniæ, Stephanum Vngariæ, aliarumque Prouinciarum primos Reges Christianos.

§ 3. Quia Christi Ecclesia Canonicarum Scripturarum diuinis & certissimis testimonijs, vt S. Augustinus loquitur, monstratur esse illa, quæ toto orbe diffusa est; tantam Scripturarum lucem folio 509. obnubilare tentas; per Ecclesiam ais intelligi omnes Christi nomen confessos, etiam hæresin professos. Sic tandem in Ecclesia fuerint Lutherani, si ea sit vna cum fidelibus Arianorum, Tritheitarum, Nestorianorum, Eutychianorum, Hussitarum, Anabaptistarum, Suuenckfeldianorum, & similium fæcium, plusquam Babylonica confusio. Atuero *Marcionitas, Valentinianos, Montenses siue Campitas scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.* S. Hieronymus contra Luciferianos cap. 9.

§ 4. Apud Esaiam cap. 5. Ecclesiæ promittit Deus; *spiritus &*

tus & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore seminis tui amodo, & in sempiternum. Hæc tu folio 514. inuisibili, soli Deo notæ prædestinatorum Ecclesiæ promissa esse contendis; quæ tamen, si vobis credimus, multis seculis contra infandas superstitiones & idololatrias os non aperuit, nec mutire ausa fuit. Os Ecclesiæ sunt Doctores, qui Dei verbum seminant; & fructum afferunt; & fructus eorum manet in æternum. De hoc semine ac visibilis Ecclesiæ propagatione intelligendus est propheta. Cur ad inuisibilem trahis Ecclesiam, quod integre completur in toto orbe cognita? *Exstat Ecclesia cunctis clara atq; conspicua; quippe ciuitas, quæ abscondi non potest, super montem constituta, per quam dominatur Christus à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ, tanquam semen Abrahæ multiplicatum sicut stellæ cœli, & sicut arena maris, in quo benedicuntur omnes Gentes.* S. Augustinus libro 2. contra Cresconium, cap. 36.

§ 5. Vnitatem in rebus fidei negas folio 519. esse veræ Ecclesiæ notam; quod multi etiam in malis consentiant. At malorum consensus raro diuturnior est; & à nobis Ecclesiæ signum statuitur, non actualis solum, sed inprimis aptitudinalis vnitas, quæ consequitur politiam & docendi rationem, vnitati tuendæ maxime accommodam; qualis est, cum omnes vni visibili parent Capiti; hinc S. Hieronymus lib. 1. contra Iouini. cap. 14. *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Quare hæretici sine capite & cerebro in plures scinduntur partes, & *à regulis suis variant inter se, dum vnusquisq; suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. penitus inspecta hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.* Tertullianus cap. 42. de præscrip. De suis noui Euangelij fratribus in epist.

 ad Me-

ad Melanchthonem queritur Hedio, errorum tantam esse multitudinem, *vt si quis omnes numeret, fere 128. inueniat, atque ad Atheismum relabi syneuangelicos miretur.* postea ad 300. fere numerus excreuit. *Lites*, inquis folio 520. *de rebus fidei intra eandem Ecclesiam non sunt signum, falsam esse illius Ecclesiæ doctrinam.* Cum vna pars affirmat, negat altera, alterutra falsa sit oportet; & cum vtraque definitiuam viui spirantis Iudicis sententiam audire respuit, neutros litigantes in Christi Ecclesia, vnitatis & consensionis matre, esse intelligimus.

§ 6. Lutheri innumeras contradictiones nunquam conciliabis; imo dum eas eleuare fol. 522. studes, aperte confiteris: Lutherum asseris, quum Romanæ Ecclesiæ contraire cœpit, adhuc profundum in Papatu hæsisse, & aliquos articulos recepisse, quos postea magis magisque verbo Dei aduersari intellexit. Negare non poteras, quod ipse rotunde fassus est in præfatione 1. tomi, se prioribus annis non tradidisse puram doctrinam; & tamen extraordinarie à Deo electus propheta fuit. quis ferat Dei prophetam quinque annis pseudoprophetam esse? *Apostoli*, inquis, *initio, & vsque ad diem Ascensionis Christi adhuc profunde hæserunt in Pharisaico & Iudaico errore, de temporali Christi regno.* Non errarunt illi de re, quæ tunc clare ad credendum proposita esset; multo minus errorem aliquem concione, aut scripto populos docuerunt; nec vnquam falsi Doctores fuerunt, sicut Lutherum iam à Spiritu sancto illuminatum fuisse ipsi admittitis. Et tamen omnia fidei dogmata clare, perspicue in sacris litteris descripta sunt. Cæcus sit, qui vestras præstigias non aduertit.

§ 7. *Inter eos*, scribis, *qui Augustanam Confessionem sincere profitentur, inuenitur adhuc hoc tempore Christiana vnitas.* de vnitate & constantia vestra nonnihil egi in epistola dedi-

catoria.

catoria. Taceo bella cetera. Ex Lutheranis sunt, qui tanquam absurdum & impium repudiant Vbiquitatis dogma; quod Christi caro & sanguis non tantum in sacramento; sed in lardo, & caseo; mulso, & cereuisia; ac rebus omnibus, animatis, & inanimis sint præsentia: quam inauditam in Christi Ecclesia Vbiquitatem tam pertinaciter *hoc tempore* (olim aliter, nec quid labentibus annis credituri sint, constat) Prædicantes in Saxonia, Palatinatu superiori, & Wirtembergensi Ducatu amplectuntur, vt si quis ipsis non subscribat, hunc nec Christi Incarnationem, & in Eucharistia præsentiam credere proclament. Quid dicam de priuatis vestris dissensionibus? vix duos aut tres repereris, qui in grauissimis fidei articulis conspirent; vni displicet Vbiquisticum commentum; alteri nihil placet, nisi negatus Sanctis cultus; & concessus vini calix; nonnulli pro calice etiam cœlites inuocare parati sunt: hæc & similia dissidia Prædicantes latere non possunt; sed vnitati non officiunt, modo quis non publice è cathedra, vel suggestu, priuata sensa doceat. De suis Euangelicis scribit Ioannes Spangenberg in libello quem inscribit; verax narratio beneficiorum præstitorum per Diuum Martinum Lutherum; *Incipiunt iam homines nihil amplius credere, & postquam à vinculis Papatus se liberos esse vident, volunt vt deinceps rectum sit & iustum, quicquid vnicuiq; visum fuerit.* Cur Scripturas adeo perspicuas ipsi non intelligant? Et inter tot sententias blandiuntur sibi se in Religione vnos esse; ipsamque vnitatem, vt veteres hæreticos nostris simillimos ridet Tertullianus cap. 42. de præscript. *Ceterum nec suis præsidibus reuerentiam nouerunt. Et hoc est, quod schismata,* (inter Laicos, & Præsides seu Ministros) *apud hæreticos fere non sunt; quia cum sint, non parent schismata; est enim vnitas ipsa.*

§ 8. Capite 18. reuertis ad visibilitatem Eccesiæ; quam Dei ciuitatem sub modio latere posse probas. *Si visibilitas esset certum signum veræ, puræ Christi Ecclesiæ, hæc sola esset visibilis, & omnes falsæ Ecclesiæ forent inuisibiles: Atqui visibiles fuerunt idololatrarum & Arianorum Ecclesiæ; & Mahometistarum Religio nimium visibilis est. Ergo,* &c. Sæpius in eundem impingis lapidem: ad notam partialem & inadæquatam minime requiritur, vt rei, quam notificat, soli conueniat; satis fuerit, si cum alijs notis sumpta, quod quæritur, infallibiliter manifestet. Bouem ex. g. cognoscimus ex magnitudine, figura, cornibus, alijsque signis; quorum singula quibusdam, præter bouem, animantibus communia sunt; omnia coniunctim in solo boue reperiuntur. Cum Prædicante ago, qui nihil capit subtilius. Sed enim singula quoque Ecclesiæ signa ita se habent; vt ex vnius defectu falsæ deprehendantur Ecclesiæ: cognito autem Lutheranam, & Caluinianam Ecclesias destitui vel vnica veræ Ecclesiæ nota, mox eas deserendas, atque ad Romanam transeundum esse intelliget, qui nihil Atheismi, Mahometismi, Arianismi, Anabaptismi, aliusue sectæ in corde suo fouet; sed de ceterarum impietate certus; ideo Catholicus non fuit, quia Lutherum, aut Caluinum rectius sentire credidit.

§ 9. Risi, quum folio 527 legi vestram Ecclesiam superioribus seculis ita se oculisse, *vt non altum vociferata, sed editis interdum super corrupto Ecclesiæ statu gemitibus contenta fuerit.* atque ita nec videri, nec audiri poterat; nec, crede, profundum gemebat; quia nuspiam erat. Si de morum corruptela agamus, non ingemuerunt tantum; verum publice vigilantissimi quique pastorum ac doctorum eam detestati sunt. *Sed aliud est, quod docemus, aliud quod sustinemus: aliud quod præcipere iubemur; aliud quod emendare præcipimur,*

pimur, & donec emendemus, tolerare compellimur. S. Augustinus lib. 20. contra Faustum, cap. 21. Vestram deformationem qui desiderarit nec bonus; nec adeo malus, fuit vllus. Indolebant boni v.g à nonnullis sacerdotibus irreuerenter tractari sacra, & tremendum altaris sacrificium; vos vt feri apri altaria euertitis, sacra Deum Maozim esse blasphematis; sacrilegæ libidini liberrimas habenas laxatis. Quare Lutherus ipse suæ reformationi, præfatione in postillam Ecclesiasticam, hoc perhibet testimonium: *Nostrorum* PLEROSQVE *septiceps ille diabolus inuasit, & deteriores effecit, quam in Papatu fuerint.* Porro si de doctrina corrupta loquamur, non nisi impie fingitur Dei Ecclesiam non fuisse ausam, palam contra exorientes hæreses veram fidem profiteri; sed flexo poplite, pectoris tunsione, manuum eleuatione adorasse Deum Maozim. Licet enim aliqui sine crimine se occultare possint, ne ad illicita cogantur sacra; nunquam tamen vniuersa latebit Ecclesia; nec à sacrilegio excusantur illi, qui metu adacti falsum Deum colunt. eos condemnat Christi sententia: *Qui negauerit me coram hominibus; negabitur coram Angelus Dei.* Lucæ 12.

Caput XIX. XX. XXI. XXII. De Iudice Controuersiarum & Traditionibus.

SOlam Scripturam non esse omnium fidei controuersiarum Iudicem euicerunt nostri Theologi in postremo Ratisbonensi Colloquio; sed quod de Luciferianis apud S. Hieronymum legimus, hæreticis commune est, *facilius eos vinci posse, quam persuaderi.* Aduerto tamen te nonnihil didicisse. nam in Colloquio

inuenio ſecundam veſtram theſin; Scripturam eſſe *omnium Religionis controuerſiarum Iudicem, aut ſane vocem Iudicis*; hic folio 528. ſcribis: *Sicut nos nullam aliam certam, infallibilem normam, regulam, ac perpendicularem lineam doctrinæ, fidei, & cultus Diuini recipimus; quam verbum Dei, in Scripturis SS. Prophetarum, Euangeliſtarum, & Apoſtolorum contentum: ita etiam non recipimus vllum alium Iudicem in prædictis Religionem & Conſcientiam attinentibus rebus, quam* CHRISTVM IESVM, &c. agnoſcis, opinor, quam abſurde defenderitis Scripturam eſſe *Iudicem, aut vocem Iudicis*; nam vt prætercam illam non niſi improprie dici vocem, ipſa quoque vox tam parū eſt Iudex; quam regula, vel perpendiculum eſt architectus. Miror porro te adhuc profiteri Scripturam eſſe vnicam normam doctrinæ fidei; cum aperte conceſſeritis ſeſſ. 13. folio 144. extra Scripturam, *eſſe aliquid neceſſario credendum, tanquam hiſtoriam à Spiritu ſancto traditam, & quidem fide infallibili; quod tamen nec cultus, nec dogmatis, nec articuli rationem habet.* ſi credere quod Euangelium Matthæi ſit canonicum, non eſt dogma, aut articulus fidei, vt plane verſipelles tergiuerſati eſtis; an negabis, id quod fides tradit ac docet, eſſe doctrinam fidei; aut quod de eo oriri queat, vel etiam orta ſit controuerſia? ſi annuas; fateris Scripturam non eſſe normam omnis doctrinæ, omniumq; controuerſiarum Religionis. Nec plura de S. Scriptura, & Traditionibus; donec ad propoſita à noſtris Theologis Ratiſbonæ argumenta, & ab eis edita poſt Colloquium ſcripta, aliquid reſponſo dignum, intermiſſis mendacijs & ſycophantijs, attuleris.

Caput XXIII. & XXIV. De reformatione Eccleſiæ, & fide implicita.

Hoc


Oc ſcilicet reſtabat, vt Eccleſiaſtica diſcipliña reſtitueretur per transfugam Monachum; cuius poppyſmate Monachi & Monachæ ad ſaltandum, & inceſtas nuptias excierentur; clerici à ſtatis precibus; vniuerſi fideles à ieiunijs, & ceteris pietatis exercitationibus exempti, poſthac effrenes libidini & omni iniquitati ſeruirent. Hunc enim fructum tuliſſe Lutheri reformationem, ex ipſo paulo ante audiuimus. Addo teſtem alterum, egregium, ſi vobis credimus, Theologum, Andream Muſculum in Dominicam 1. Aduentus: *Cum nobis Lutheranis hoc tempore ita agitur, vt ſi quis videre volet ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impoſtorum, fœneratorum, ciuitatem aliquam adeat, in qua Euangelium purè* (Lutherane) *prædicatur, caternatim tales ibi reperiet. Nam meridiana luce clarius eſt, quod hominum effrænatorum & indomitorum, apud quos omnis virtus & honeſtas penitus extincta eſt, & apud quos pro peccato nihil reputatur, nuſquam plures, ne quidem apud Ethnicos, Turcas & alios infideles, quam apud Euangelicos, apud quos omnia diabolo fræna laxata ſunt, reperiantur.* Ita eſt; nam ſanctiſſima quæq; ſtatuta, virtutis & Chriſtiani officij repagula, audaciſſime perfregiſtis; viridantia Eccleſiæ plantaria excidiſtis. *Vtique plantationes Dei ſunt diuerſa ſemina per diuerſa præcepta. Iuſti, continentes, miſericordes & virgines ſpiritalia ſunt ſemina: harum rerum arbuſculas in paradiſum Deus plantat.* B. Optatus libro 2. contra Parmenianum.

§ 2. Lutherum ad reformandam Eccleſiam diuinitus vocatum prædicas, ad modum quo Eliſæus & Amos in prophetas; Petrus, Andreas, Matthæus, in Apoſtolos delecti ſunt. Maior nunquam infamiæ nota apud omnem poſteritatem Germaniæ inuſta eſt; quam quod cæcis ocu-

lis tam multi tanquam Dei prophetam & Apostolum adorarint virum scurram, periurum, sacrilegum, Epicuro plenum; sicut ex proprijs eius scriptis ad oculum à nostris sæpius demonstratum est. Mitto scripta, Vitam quam turpiter egit? Si propheta fuit; & vota Monastica sunt *noua idololatria in dæmoniacas doctrinas deformata* to. 1. Witeber. Anno 1549. fol. 410. Cur ab Anno 1517. vsq; ad 1524. iam & semiplene & plene illustratus Monachum habitu finxit? Monachus Virginem Deo sacram prius matrem fecit, quam sacrilege nuptam habuerit. Hiccine propheta? Rem gestam eodem anno, quo Lutherus maritus audire cœpit, ad amicum suum Danielem Mauchium in Italiam scripsit Erasmus Roterodamus. *Montini lepidissimis litteris nescio an vacet nunc respondere. Nunciabis illi rem lætam. Lutherus quod felix faustúmq; deposito Philosophi pallio, duxit vxorem, ex clara familia Borna, puellam elegante forma, natam annos viginti sex, sed indotatam, & quæ pridem desierat esse vestalis. Atque vt scias auspicatas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatum hymenæum noua nupta peperit. Iocatur ille in crisim sanguinis, verum ea crisis orco dedit agricolarum plus minus centum millia. Datum Basileæ 6. die Octobris. Anno 1525.*

§ 3. Exploratum est, non omnes fideles obligari ad comparandam sibi quorumuis fidei dogmatum notitiam; sed multis suffecerit præcipuos articulos, vt sunt qui in Apostolico Symbolo continentur, & illa quæ necessariorum cuique sacramentorum dignum vsum attinent, tenere explicite; cetera saltem implicite credunt, quia Ecclesiæ fidunt, in cuius thesauris plena est recondita sapientia; quā communione quadam potitur, qui ab Ecclesia non abscinditur; adeoque *nihil vltra scire, omnia scire est*; vt scite loquitur Tertullianus cap. 14. de præscrip. Narrat Cardinalis Hosius sanctæ me. lib. 5. aduer. prolegom. Brentij, ferri

ferri de quodam carbonario, quod à viro docto rogatus quid crederet, recitarit Symbolum; interrogatus quid præterea crederet, respondit; quod Ecclesia credit Catholica: ille vero; Quid credit Ecclesia? quod ego, inquit, credo. nec responsum aliud extorqueri potuit. Prædicans hanc fidem appellat Carbonariam; de eaque proprium instituit caput. Quot inter Lutheranos nec Symbolum norunt? plurima, & inter Prædicantes recepta dogmata de Iustificatione, de originali peccato, &c. non solum ignorant; sed hanc suorum doctrinam esse, nec persuaderi possunt. Habui ipsemet Lutheranos, qui carnem Christi vbique, in omnibus cellis & macellis præsentem esse nec verum, nec à vobis tradi vllatenus credebant. Profecto carbonarij non tam ignorantia, quam sciendi temperantia vestræ plerophoriæ, & vt pollicemini, Euangelicæ luci longissime antestat. *In Catholica enim Ecclesia vt omittam sincerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perueniunt; vt eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant; ceteram quidem turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* S. Augustinus, cap. 4. contra epist. fundamenti Manichæi.

ARTICVLVS XVI.

De vocatione, & ordinatione ministrorum Ecclesiæ.



Vnc articulum in XI. capita dispertis; in quibus breuis es; sed non pauca paradoxa, mendacia, impias nouitates cumulas. Primo capite agis

te agis de ijs, quæ inter nos constant; quod duplex sit vocatio, vna immediata, quæ iam dudum desierit; altera mediata. Videris, quomodo cum Hunnio tuo conuenias, qui Lutherum extraordinarie, atq; immediate à Deo suscitatum prædicat; de quo supra.

§ 2. Capite secundo negas in Christi Ecclesia esse veros sacerdotes, ad verum ac proprium sacrificium ordinatos; atque ita S. Chrysostomi, S. Ambrosij, aliorumue Patrum integri de nouæ legis sacerdotio libri tollendi sunt, aut toti improprie tantum intelligendi. Corrigendus quoque fuerit Apostolus ad Hebræos 7. qui translatum sacerdotium in noua lege tradit, non sublatum. Sed de sacrificio iam egimus. *Pontificij*, inquis, *solent presbyteros Germanice* Priester/id est, sacerdotes *vocare; partim ex ignorantia Græca vocis, quæ non sacerdotem, sed seniorem significat; partim ex astu, quo suum sacerdotium in Scriptura fundamentum habere hominibus persuadeant*. Quam futilis sycophanta es! A vobis scilicet insulsis Græculis nos, & veteres Patres, tum Græci, tum Latini Græce peritissimi discemus, quis sit presbyter. Et senatus à senibus dicitur; in senatore tamen nemo canos potius, quam prudentiam desiderauerit. Similiter in Apostolorum scriptis presbyter non tam ætatem, quam officium significat; nempe sacerdotes, aut sacerdotum principes Episcopos, qui fere ætatis quoq; prouectæ erant. *Reliqui te Cretæ*, scribit ad Titum cap. 1. Apostolus, *vt ordinares per ciuitates presbyteros*; vbi de Episcopis loquitur, vnde paulo post; *oportet enim Episcopum*, &c. & S. Hieronymus in cap. 2. Aggæi de hoc loco S. Pauli; *Episcopos intelligi vult*. tu folio 577. asseris Tito mandatum esse, vt constitueret seniores. ad quid? nam hiat oratio; nisi forte præceptum sit, vt ex iuuenibus accelerata præter naturam ætate seniores faceret. Præfecturæ & gradus Ecclesiastici hoc nomen

men esse aperte testatur idem Apostolus, 1. Timoth. 5. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur. De sacerdotibus verba facit*, inquit S. Chrysostomus libro 4. de sacerdotio. & res apertissima est: nec tamen omnes annis obsiti erant; ipsi Timotheo iam Episcopo eadem epistola cap. 4. scribit Paulus; *Nemo adolescentiam tuam contemnat.*

§3. Capite tertio quæris; vtrum Sacerdotes, vel Ministri Ecclesiæ solum ab Ecclesiastica & canonica auctoritate vocari & confirmari debeant. Affirmas; sed non probas, nisi quod interdum Reges nominarint ac designarint, quos eligi canonice volebant; quo præsentandi, seu patronatus, vt vocamus, iure multi etiam hodie Principes ac dynastæ gaudent. Atqui nominatio, præsentatio, sicut & fidelis populi, aut infidelium quoq; 1. Timoth. 3. commendatio, seu postulatio præambula sunt ad ipsam Ordinationem sacerdotis, diaconi, &c. vel ad canonicam Parochiæ, Episcopatus Collationem; quæ Ordinatio & Collatio substantia Vocationis sunt; & solius Ecclesiasticæ potestatis, minime laicæ, functiones. Quod ostendunt ipsæ, quas pro te affers, Scripturæ; Act. 14. Paulus & Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros Listræ, Iconij & Antiochiæ. Ad Titum 1. *Reliqui te Cretæ, vt ordinares per singulas ciuitates presbyteros.* Paulus, Barnabas, Titus Episcopi ordinarunt sacerdotes. an hinc infers ministros Ecclesiæ vocari ad ministerium per laicos? tibi presbyteri sunt senes, sed hos ætas non ordinatio facit. Quid populus ad sacerdotum electionem olim contulerit, ni cæcus esses, ex ipsa, quam citas S. Ambrosij epist. 82. disceres; in qua de Eusebio ab omni Ecclesia electo scribitur: *merito creditum, quod diuino electus esset* (Eusebius Vercellensis) *iudicio, quem omnes populi postulauissent.* Hæc Ambrosius. Profecto sicut loca, ita & personæ sacræ Ecclesia-

ſtica auctoritate conſtituuntur: tam hæ, quam illa à laicis nonnunquam petuntur & deſignantur. Fortiſſime Imperatori locutus eſt noſter Ambroſius : *Ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſia; publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.* refert ipſe Epiſt. 33. Eadem perſonarum ſacrarum eſt ratio.

§ 4. Vngitur ſacerdos cum ordinatur: id inuentum humanum appellas cap. 4. quod à Siluestro I. initium cœperit. Eſto, quod à Pontifice virtutis & vetuſtatis gloria clariſſimo 1300. abhinc annis ſanctè inſtitutum eſt; non niſi impie à vobis contemnitur; digni plane, qui non oleo, ſed baculis lumbos vngamini.

§ 5. Capite 5. negas Ordinem eſſe ſacramentum ; id eſt, Diuinæ gratiæ à Chriſto inſtitutum inſtrumentum: audi Apoſtolum 2. Timoth. 1, *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum,* audi Patres Catholicos; *Quis dat frater Epiſcopalem gratiam Deus, an homo? Reſpondes ſine dubio, Deus; ſed tamen per hominem dat Deus; homo imponit manus, Deus largitur gratiam; ſacerdos imponit ſupplicem dexteram; & Deus benedicit potenti dextera: Epiſcopus initiat Ordinem; & Deus tribuit dignitatem.* S. Ambroſius cap. 5. de dignitate ſacerdotali : hanc cum baptiſmo comparat S. Auguſtinus libro 2. contra Parmenianum cap. 13. *Vtrumque* inquit, *ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur; illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur : ideoque in Catholica vtrumque non licet iterari.* Et: *Ipſi explicent quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti : quoniam dicunt, recedens ab Eccleſia baptiſmum non amittit, ius dandi tamen amittit. Si enim vtrumque ſacramentum eſt, quod* NEMO DVBITAT, *cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri ſacramento iniuria facienda eſt.* Tu ſubſtantiam ordinationis ſacerdotalis pu-

lis putas perfici nostrâ sententiâ per sacram vnctionem; sed erras; & hinc nascitur mala illa consequentia: inunctio sacerdotis post Apostolos cœpta est, ergo ordinatio non est sacramentum à Christo institutum. inunctio illa ritus quidam & ceremonia accidentalis est Ordinis; sicut & baptismo ceremoniæ quædam accesserunt, quas nec vos negligendas esse vultis; ipsum vero tum baptismi, tum Ordinis sacramentum à Saluatore nostro traditum est.

§ 6. Capite 6. de charactere disputas; & rem integre perfectam das: quia Gabriel Biel fatetur, nos ex Scripturis & sanctis Patribus ad characterem asserendum non cogi. qui non duræ ceruicis est, haud opus habet coactione; sponte sequitur, quo eum fides inuitat; nec omnia quæ Gabriel scripsit, Ecclesia rata habuit. Ais antiquos Patres nec verbo meminisse huius characteris; sed fallis; vt vel ex S. Augustino, loco citato, patet; vbi tam baptismi, quam Ordinis effectum comparat signo regio monetæ impresso, & notæ ac characteri militari; qui etiam in militiæ desertore maneat; *Si forte*, inquit, *illum militiæ characterem in corpore suo non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa & impetrata iam venia militare cœperit, nunquid homine liberato atque correcto, character ille ipse repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus hærent sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota?* Ob characterem etiam, qua anima singulariter Deo dedicatur, consecrationem vocat S. Pater sacramenta, quibus ille imprimitur, & ideo reiterari non posse tradit; manent enim in effectu suo, indelebili hoc signaculo; secus accidit in sacramentis ceteris. Tu aliam causam supponis, cur sacramentum baptismi irreiterabile sit; quia scilicet nullum reiterandi præceptum habemus. quam male materiatam struas consequentiam; non legitur præ-

ceptum, ergo est prohibitum, alibi ostendimus. dic quo loco SS. Eucharistiam frequentandi præceptum legas? Tacere non debeo nouum Casistam Hunnium tuum, qui baptismi reiterationem aperte probat capite 12. de sacramentis tomo 1. operum Latinorum, folio 1076. Witebergæ hoc anno impressorum. Quærit, an paruulus in periculo mortis à matre in loco solitario baptizatus, non amplius baptizari debeat; & respondet: *Si moriatur infans, ne dubitet mater, illum percepisse verum baptismum, & feliciter esse mortuum: si vero reualuerit, mater nulli hominum indicet, quod baptizarit illum; sed tanquam non baptizatus esset, sinat illum in Ecclesiæ cætu baptizari, propterea quia in re tam ardui momenti, quæ concernit animæ salutem, testibus est opus baptizato, contra ignita tela & tentationes Satanæ.* Macti animis Prædicantes, pergite; donec stultitiæ & impietatis culmen attingatis, nouiora indies cudite paradoxa.

§ 7. Capite 7. de numero Ordinum agis non Theologus, sed insulsus ludius. Inferiorum Ordinum officia exercent etiam alij; at non pari facultate ac iure: eosdem Ordines in sacramentis non habent aliqui Catholici; nec ad id fide credendum, re non satis explorata, tenemur. Falsum vero est, nos docere Ordines tam inferiores, quam superiores institutos à Caio Pontifice; hoc fatemur constituisse Caium, vt ad Episcopatum non deligeretur, nisi qui per hos gradus ascendisset, in singulis scilicet sistendo, eorumq; functiones aliquamdiu obeundo; ipsos vero Ordines in Caium auctorem nemo Catholicus refert, quum in scripturis Apostolicis Episcoporum, presbyterorum, diaconorum sit tam expressa mentio; & inferiorum quoque Ordinum apud Patres S. Caio antiquiores. Acolyti vocem Græcam affirmas nos non intelligere; quia Acolytos etiam vocamus ceroferarios. sic qui Apostolos vocat

Christi

Christi discipulos, non intelligit nomen Apostoli. An omnia, quæ eidem tribuuntur, nomina habentur pure synonyma? Te originem vocis Acolytus ignorare mihi verosimile videtur; facile ederes, si scires; cum tam multa incognita effutias.

§ 8. S. Anacletus epist. 3. tradit duos solum presbyterij Ordines, nempe Episcoporum & inferiorum sacerdotum à Christo institutos esse; de ceteris Ordinibus non loquitur. Te arguit, qui capite 9. parem Episcoporum & ceterorum in sacramentis administrandis contendis esse auctoritatem; si quilibet presbyter, inquis, administrare potest baptismum & Eucharistiam; cur non posset Ordines conferre? hæc tu, sed verbis histrionicis, quibus chartam non maculauero. Aërij orco reuocatis hæresin; qui presbyteros omnes & ordinis potestate, & dignitatis gradu æquabat Episcopis; vos vestris superattendentibus eminentiam quandam honoris tribuitis, in ministris vero ordinandis communem illis ac ceteris pastoribus, an lupis, facultatem esse vultis; qui præcipuus circa sacerdotij gradus error fuit Aërij; de quo S. Epiphanius hæresi 75. *Erat autem ipsi sermo furiosus magis, quam humanæ conditionis, & dicebat; quid est Episcopus ad presbyterum? Nihil differt hic ab illo: vnus enim est Ordo, & vnus, inquit, honor, & vna dignitas. Imponit manus Episcopus; ita etiam presbyter,* &c. Quamuis enim plura Episcoporum munia alij quoque sacerdotes ex dispensatione rite interdum obeant, & eatenus nihil ferme interesse inter vtrosque dicat S. Chrysostomus, inauditum tamen in Ecclesia est, à sacerdote non Episcopo ordinatos esse presbyteros, vt ex ipsis SS. Chrysostomo, & Hieronymo, quos citas, discere poteras. *Sola Ordinatione,* ait S. Chrysostomus, hom. 11. in priorem ad Timotheum, *Episcopi superiores sunt;* cetera enim omnia sacramenta vel

iure ordinario, vel ex Pontificia comissione administrant sacerdotes alij. Vnde S. Hieronymus, epist. 85. *Quid enim facit, EXCEPTA Ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Vtriusque Patris verba pro tua causa attulisti, quam iugulant. Subdis S. Augustinum, qui Episcopi munus scribit esse alijs superintendere. ita est, neque tamen vnquam Episcopi vocari soliti sunt Superintendentes, vel Superattendentes; sed hæ vocum nouitates cum nouis dogmatibus succreuerunt. Præter hos, adhuc vnum primo loco collocasti S. Cyprianum, cuius hæc de Apostolis verba: *pari consortio præditi & honoris, & potestatis*; maiusculis depingis; quæ nihil omnino ad rem præsentem faciunt; quum omnes illi fuerint Episcopi, & in Episcopatus gradu pares, ita vt nullus ab eo exclusus fuerit; tamen PETRO PRIMATVS DATVR, vt statim addit S. Cyprianus; sed de hoc fraudem tuam detexi, Articulo 14. cap. 1. §. 3. In primitiua Apostolorum Ecclesia nomina Episcopi & presbyteri non ita semper discreta fuisse, sicut postea vsus obtinuit, facile admittimus; attamen re ipsa inter sacerdotes gradus differentia, quam hodie profitetur Ecclesia, Apostolorum tempore obseruata fuit. Soli enim quos vocamus Episcopos, manus impositionem, seu sacerdotalem Ordinationem perficiebant; vt Scripturas intellexerunt Catholici Patres. sic in illud; *Per impositionem manuum presbyterij*, 1. Timoth. 4. commentatur S. Chrysostomus: *Non de presbyteris hoc in loco: sed de Episcopis loquitur; neque enim profecto presbyteri ipsum ordinarant.* Et B. Theodoretus; *Presbyterium autem hic vocat, qui Apostolicam gratiam acceperunt*; id est, Apostolatus dignitatem; nam quos iam Episcopos dicimus, tenet B. Theodoretus dictos esse Apostolos; quod & credibile est. *Eosdem* (minores sacerdotes) *olim vocabant Presbyteros & Episcopos, eos autem qui nunc vocantur Episcopi, nomi-*

nominabant Apostolos. Procedente autem tempore nomen quidem Apostolatus reliquerunt ijs, qui verè erant Apostoli: Episcopatus autem appellationem imposuerunt ijs, qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus. Hæc B. Theodoretus in cap.3.1.ad Timoth.

§ 9. Capite 8. contra Clericorum tonsuram profers Iudæis data præcepta, quæ nec nos attinent; nec tonsuram vetant, sed capillitij ornamenta; vel rasuram superstitiosam, & Gentilium olim sacerdotibus suetam, qui nuda omnino capita in Deorum lapideorum, ligneorum, &c. honorem habebant. Hunc mentiris clericalis tonsuræ ortum esse; quam in Apostolicis traditionibus censent, SS. Isidorus libro 2. de Diuinis officijs, cap. 4. & Beda lib. 5. hist. Anglo. cap. 22. Fausto Manichæo, qui Gentium mores Catholicis tribuebat, respondet S. Augustinus lib. 20. contra eum cap. 21. Gentes etiam cibo, tectis, vestibus &c. vti, quibus fideles vtuntur; *longe tamen aliter his rebus vtitur, qui ad alium finem vsum earum refert, & aliter qui ex his Deo gratias agit, de quo praua & falsa non credit.* Hæc tibi respondere possem; licet eodem modo Gentiles fuissent tonsi, quo Clerici Catholici. At Prædicantes Euangelici, per forum & plateas instar nitidi & politi amatoris malunt incedere; illis multiplices crinis sinuatur in orbes, quos flauescentes ad speculum studiose componunt; cincinnos morsu numerosi dentis eburno sulcant; ne mulierculis incompti displiceant. Vociferaris mutilatum esse canonem 44. Concilij Carthaginensis IV. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam*; addendum enim esse, *tondeat vel radat*; sed à nobis non impetrabis, vt hoc contra tot veterum Codicum fidem assuamus; quicquid è barbigero Prædicantium grege Georgius Nigrinus aliusue scripserit. Vobis interim barba latifolia ac mystace interdictum

esse nolumus; nostris sacerdotibus alere barbam, vbi loci consuetudo non restitit, non tantum ab anno 1529. vt fabularis, sed antea quoque licuit.

§10. Capite 10. & 11. De tua tuorumque vocatione laboras; quam legitimam non esse ita claret, ac si ipsius solis radio scriptum foret. Primo enim notissimum est, vos destitui perpetua ab Apostolis successione; secundo, vos nullos habere veros Episcopos; tertio, nec sacerdotes, qui non nisi ab Episcopis ordinantur. Successionem non requiri probas exemplo Christi, Ioannis Baptistæ, Prophetarum, & Apostolorum: mihi satis est, quod illam vobis deesse negare nequeas; quam ad ordinariam seu mediatam vocationem desiderari tam liquidum est, vt nec vnicum extra successionis lineam vocatum nominare potueris; sed solum illos, quos ipsimet à Deo immediate & extraordinarie vocatos esse agnoscitis: & tamen vocationem vestram tanquam extraordinariam prædicare ausus non es, folio 572. quin aperte scribis: *Etsi immediata vocatio, quam Propheta & Apostoli ab ipso Dei filio habuerunt; iam dudum desierit*, &c. Et Lutherus tuus in capite 1. epist. ad Galatas tomo 4. Ienæ impresso, Anno 1558. *Deus vocat nos hodie omnes ad ministerium Verbi vocatione mediata, hoc est, vocatione quæ fit per medium, id est, per hominem: Apostoli vero immediate vocati sunt ab ipso Christo.* A mediate autem, & via ordinaria vocatis optimo iure exigitur: *Edant origines Ecclesiarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel ex Apostolicis viris, qui cum Apostolis perseuerarit, habuerit auctorem & antecessorem:* vel certe ostendant, quod *recipiuntur in pacem, & communicationem ab Ecclesijs quoque modo Apostolicis.* Hæc antiquissimus Tertullianus cap. 32. de præscriptionibus. Eadem illo antiquior S. Irenæus, *Quapropter*

propter eis qui sunt in Ecclesia presbyteris obaudire oportet, his qui succeßionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum Episcopatus succeßione, charisma veritatis certum, secundum placitum patris acceperunt. Reliquos vero qui absistunt à principali succeßione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes, aut rursus vt hypocritas, quæstus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes. Libro 4. capite 43. Tu quo te vertas nescius iam extraordinariam, iam ordinariam vocationem comminisceris. Lutherum ais fol. 595. vocatum ad prædicandum à Papistis: id est; vestra sententia, ab Antichristis. O miseros Prædicantes, qui vocationem suam referunt ad Antichristi mancipia, ad fures & latrones, ad lupos rapaces! tales enim Episcopos nostros esse furiose proclamatis; de ipso Romano Pontifice scribit Lutherus tomo 1. Witebergæ edito, Anno 1558. folio 408. *Euidens est, Papam non esse Magistratum, neque Ecclesiasticum, neque politicum.* Quomodo ergo à Papatu profecta legitima censebitur vocatio?

§ 11. Deinde, Lutherus apud nos Episcopus non fuit; ac proinde quotquot ab illo, alioue non Episcopo, ordinati sacramenta conficere præsumitis, sacrilege tentatis, quorum nullam habetis potestatem, nec Episcopi, nec sacerdotes; vtrosque enim à solis Episcopis ordinari ex perpetua ab Apostolis vsque Ecclesiæ praxi certissimum est: quam testantur Concilia Nicænum I. can. 4. Sardicense can. 19. Carthaginense IV. cap. 2. & passim SS. Patres, qui in hoc, vt supra vidimus, præcipuam inter Episcopum & presbyterum differentiam esse tradunt. Luculenter contra Aërium hæresiarcham S. Epiphanius hæresi 75. *Dicere enim ipsum Episcopum & presbyterum æqualem esse, quomodo erit poßibile? Episcoporum enim ordo Patrum generator est: Pa-*

tres enim generat Ecclesia: Presbyterorum vero NON POTENS *generare Patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ; non tamen Patres, aut Doctores.* Agnouit id ipse Lutherus, qui in capite 1. epist. ad Galatas scribit: *Apostoli vero immediate vocati sunt à Christo; Apostoli postea* (non principes laici) *vocauerunt suos discipulos; Episcopi suos successores. Ea vocatio durauit vsque ad nostra tempora, & durabit vsque ad finem mundi.* Ergo à Luthero, qui Episcopus non erat, vocati, non sunt ingressi per legitimæ vocationis ostium; & nec Episcopi, nec sacerdotes sunt: nam vtrosque ordinandi tam impotens est sacerdos non Episcopus, quam diaconus, aut etiam laicus. Quare Lutherum quoque ferit, quod in Hilarij hæretici sectatores à S. Hieronymo vibratum est spiculum: *Hilarius cum diaconus* (Lutherus cum simplex sacerdos) *de Ecclesia recesserit, solusque vt putat turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos & presbyteros non habens, &c. Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotes.*

ARTICVLVS XVII.

De cœlibatu clericorum.

Caput I. Quare Prædicantes viuant vxorati.



Vm viro irreligioso, inquit Ecclesiasticus, cap. 37. *tracta de sanctitate; cum impio de impietate, cum inhonesto de honestate;* cum Prædicante de vita cœlibe. contra quam ἄσπονδον πόλεμον, implacabile bellum, spurcissimi Lutheri soboles gerit. Tu capite 1. octo causas

causas affers, ob quas mariti viuatis; priores 5. sunt: quia coniugium est status sanctus, permissus patriarchis, veteris legis sacerdotibus, & prophetis: nec à Christo Domino prohibitus. At sanctior est, quem Christus suo exemplo sacrauit; & sacerdotibus suis imitandum reliquit, quibus illum non per se quidem, sed per Apostolos suos præcepit. Licet enim ipsum coniugium sit honorabile; hominem tamen quasi diuidit, vt loquitur Apostolus, 1. Corinth. 7. nec totum Dei esse sinit; vt taceam eius vsum, etsi per se delictum non sit; frequenter tamen maculis leuioribus conspergi, & cum quadam carnis indomitæ rebellione, adeoque dedecore coniunctum esse. quare nec Prædicans vllus eo impudentiæ progressus est, vt in publico liberis operam daret. Cur latebra quæritur, nisi ob turpitudinis speciem, si non labem? De patriarchis, prophetis, & Aaronicis sacerdotibus iam dudum respondit Iouiniano hæresiarchæ S. Hieronymus lib. 1. cap. 13. *recte nobis opponerentur, si errore Encratitarum ducti contenderemus matrimonia reprobanda; & non esset noster Pontifex secundum ordinem Melchisedech sine patre, sine matre, ἀγενεαλόγητος, hoc est, sine nuptijs.* Patriarchæ, & veteres sacerdotes, oues & boues, aliasue victimas cædebant; hodie Virginis filius inter sacerdotum manus immolatur. *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc diuidentem?* S. Chrysostomus hom. 60. ad populum Antioch. cum neque propositionis panibus, vrgente necessitate, vesci permissum esset; nisi ijs, qui MVNDI *sunt ab vxoribus*. 1. Reg. 21. *Panes enim propositionis, quasi corpus Christi, de vxorum cubilibus consurgentes edere non poterant*, ait noster Hieronymus lib. cit. cap. 11. Eadem ex Græcis Patribus S. Maximus Christi martyr in quæstionibus & responsionibus ad Thalassium: *Cur non prohibeban-*
 tur

tur sacerdotes veteris legis habere vxores; sacerdotes vero Christi prohibentur quoad concubitum? Quia scilicet est sacerdotium secundum ordinem Melchisedeci, de quo non est litteris mandatum duxisse vxorem; quare necessario, qui secundum ordinem eius funguntur sacerdotio, non admittunt vxores. sed & sacerdotes *in veteri lege*, vt obseruauit S. Hieronymus libro 1. contra Ioui. cap. 19. *qui pro populo hostias offerebant; non solum in domibus suis non erant; sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati.*

§ 2. Causa 6. 7. & 8. nuptiatorum Prædicantium est; quia Apostoli ipsi habuerunt coniuges; non prohibuerunt nuptias sacerdotibus; neque Ecclesia purissima Apostolica, Christiana, Catholica. Ergo nec iam debent esse prohibitæ. Vt omittam, ruinosam esse consequentiam, nixam fundamento hæretico, quod Ecclesia non habeat auctoritatem salutares leges nouiter statuendi; antecedentia ex mendacijs consuta sunt; vel ad rem nihil faciunt. Apostolos habuisse coniuges, vnde tam audacter asseris, cum de solo Petro constet? neque ad propositum pertinet. Nam hodie quoque sacerdotio initiari possunt, qui vxores habuerunt; vel adhuc habent; modo vterque coniunx in posterum continentiam promittat. Ita etiam *Petrus, & ceteri Apostoli, vt ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant; qui assumpti postea in Apostolatum, relinquunt officium coniugale. Nam cum Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; respondit ei Dominus: Amen dico vobis, quoniam nemo est; qui dimiserit domum, aut parentes, aut vxorem,* &c. Hæc Iouiniano S. Hieronymus lib. 1. cap. 14. Qui ad Scripturas, quas Iouinianus illi, tu nobis opponis, elegantissime respondet. Quam absurde enim inducitis Apostolum non solum permitten-

mittentem; sed etiam cuique præcipientem, vt vxorem habeat; qui tamen ipse ἄγαμος, & cœlebs vixit; aliosque sui imitatores esse desiderauit; sicut verba illa, 1. Corinth. 7. *Dico autem non nuptis & viduis; bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego;* Theodoretus, & ceteri exponunt. 1. Timoth. 3. legimus; *oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum*; an vis neminem, nisi vxoratum, ad Episcopatum esse admittendum? non audes affirmare. Sensus à Patribus communissime receptus, & perpetua Ecclesiæ praxi firmatus est, ad sacerdotium admittendos non esse digamos. Testis est antiquissimus Tertullianus, qui libro 1. ad vxorem scribit: *Disciplina Ecclesiæ, & præceptio Apostolica digamos non sinit præsidere.* Et S. Ambrosius epist. 82. *Apostolus legem posuit dicens: si quis sine crimine est, vnius vxoris vir: qui autem iterauerit coniugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogatiua exuitur sacerdotis.*

§3. Nec solum digamum à sacerdotio remouit Apostolus, sed & monogamum, seu vniuirum ab vxore, quam habet, continentem esse voluit; *oportet Episcopum esse continentem*, ad Titum 1. *ab vxoriis etiam amplexibus*, commentatur S. Hieronymus; nam hoc significat apud Apostolum ἐγκρατῆ; à quo nomine deducitur ἐγκρατεύομαι, quo verbo ille vsus est 1. ad Corinth. 7. *si non se continent*, (vtique à copula coniugali) nubant. Et hanc in veteri Orientali & Occidentali Ecclesia viguisse consuetudinem testatissimum est. Con. Nicæ. I. Canone 3. *Omnibus modis interdixit sancta synodus, neque Episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque vlli clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater, aut soror, aut auia, aut amita, vel matertera sit. In his namque solis personis, & harum similibus, omnis quæ ex mulieribus est, suspicio declinatur. Qui autem præter hæc agit, periclitatur de Clero.* Concil. Carthaginense III. vulgo, V. ca-

none 3. *placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundum propria statuta etiam ab vxoribus continere.* Eusebius lib. 1. demonstrationis Euangelicæ, cap. 9. *Qui sunt sacri Ordinis, atque in DEI ministerio cultúque occupati, decet deinceps abstinere se à commercio vxorum: quicunque vero non sunt assumpti ad tantum munus sacerdotij, his scriptura indulget, quasi illud apertè ceteris denuncians, quod honorabile sit coniugium.* S. Basilius in Epist. ad Georgium Presbyterum: *Neque primi, neque postremi legem tulimus, ne mulieres cum DEO dicatis habitarent. Lege Canonem editum in Concilio Nicano, qui planè vetuit has domi habere mulieres. Cælibum vero hac est gloria, mulierum conuictu carere.* Et S. Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 50. *Inoffensum autem exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri Ministerij gratiam recepistis.* S. Epiphanius hæresi 59. *Reuera enim non suscipit sancta DEI prædicatio, post Christi aduentum, eos qui à nuptijs, mortua ipsorum vxore, secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem & dignitatem. Et hac certò sancta DEI Ecclesia cum sinceritate obseruat. Sed adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit, sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum: maximè vbi sinceri sunt Canones Ecclesiastici.*

§ 4. Ex his tua deteguntur sphalmata, & mendacia; fol. 599. *Si Melchisedech fuit Sem, vt creditur, eius filij recensentur, Gen. 11.* quis hoc, præter paucos recentiores, credit, nisi Iudæi? Sem nouimus fuisse filium Noe; cuius genealogia in veteri nouoque testamento descripta est; at de Melchisedech scribit Apostolus ad Hebræos c. 7. *sine patre, sine matre, sine genealogia*; non quod his caruerit; sed quia *Diuina Scriptura nihil horum nos docuit*; inquit B. Theodoretus. &

con-

consentiunt, quotquot recte sentiunt. De Hebræis vero tuis scribit Procopius cap. 15. in Genesin: *Quidam admodum stulte opinantur Sem esse Melchisedecum; verum id impossibile est, &c.* Fol. 602. & 608. Gratiani verba, & errorē falso ius Canonicum & Pontificium appellas. Fol. 603. Canonum Apostolicorum sensum inuertis; inepte Concilium Ancyranum pro te citas, ex quo perspicuum est, diacono non licuisse vxorem ducere, sine Episcopi dispensatione. hodie autem non dispensant Episcopi; nec tanta est ministrorum inopia, vt erat ante 1300. annos, sub Imperatoribus Gentilibus; sed semper inueniuntur plurimi, qui in continentiæ legem sponte conueniant. Ex prædictis erroris etiam conuincitur fabula, folio 603. quod Nicæna Synodus à Paphnutio persuasa permiserit sacro ordine initiatis coniugum vsum. Folio 604. in errorem tuum trahis Concilium Gangrense, quod anathema dicit eis, qui à sacerdotis communione abstinebant, *occasione nuptiarum*; opinati scilicet, vt ex can. 1. patet, quod coniugatus saluari nequeat; de vsu coniugij sacerdotibus permisso nihil penitus habet Concilium. Ibidem mentiris S. Innocentium I. vetuisse sacerdotibus, ne vxores ducerent viduas, sed permisisse virgines; istud sanxit, ne clericus inferior sibi iungeret matrimonio viduam; *ne hoc præiudicio impeditus non possit ad sacerdotium peruenire.* nam qui viduam ducit, non admittitur ad sacros ordines ascendere. sacerdotibus vero tantum abest ab illo concessas esse nuptias, vt coniugum ante initiationem habitarum vsum ab Apostolo eis vetari tradat. Canones Trullanos, qui sextæ synodi nomine circumferuntur, à Leone II confirmatos, & præsentibus Agathonis Pontificis legatis conditos esse, geminum mendacium est; expresse eos reprobauit, qui tunc Petri Cathedram tenebat, Sergius I.

Caput II. & III. De lege cœlibatus.



Am esse Apostolicam, & sanctissimam declaratum est, quid tu ? Lex castimoniæ & continentiæ, quam Apostolus inter S. Spiritus fructus recenset, ad Galatas 5. immundo spiritui auctori tribuitur; libidinum seminarium appellatur, & Antichristi Symbolum. Hoc blasphemiarum, in Christum Virginis castissimæ filium; continentiæ verbis factisq; Doctorem; in sanctum Spiritum, cuius donum est castitas; in vniuersam Ecclesiam his legibus perpetuo vsam, compendium est. Lex libidinem non incendit, sed restinguit; cuius occasione, si quis delinquat, sibi culpam imputans ex Apostolo dicat: *Mandatum sanctum, & iustum, & bonum. sed peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Romano. 7. An accusabis matrimonij iura; quibus si obstricti non essent coniuges, nulla forent adulteria ? Ipsemet agnouisti folio 535. non ideo carendum esse pane, vino, pecunia; quia ijs abutantur impij, ebriosi, auari. Cur sanctissimis institutis tam iniquus es; vt ob præuaricatorum abusum, vel potius non vsum è medio sublata velis?

§ 2. Ad mutuatam à Iouiniano hæretico calumniam; qui Christi Ecclesiæ ante 1200. & plures annos obijciebat; *Manifestum est, vos Manichæorum dogma sectari prohibentium nubere*; respondet S. Hieronymus, lib. 1. cap. 25. *Ecclesia matrimonia non damnat, sed subijcit, &c.* de virgine & continēte sentit cum Apostolo 1. Corinth. 7. *Beatior erit, si sic permanserit:* puto autem, quod & illa spiritum Dei habeat. Hoc vero Christi Apostoliq; consilium amplexos; & se totos, nihil vxori alligatos, Deo seruituros data dextera pollicitos, ad fidem non homini, sed Diuinæ maiestati seruandam

dam meritiſſimo aſtringit. Nec ideo, quod nuptias prohibeat criminandum eſt; ſicut nec militiam, aut ſutoriam, aliaque ſordida opificia prohibere dicitur, quod ea in clericis non toleret.

§3. Caput III. abſurdis & fallacijs fœcundiſſimum eſt. mitto cetera; folio 611. depoſita larua apertius Iouinianiſmum profiteris. *Si Iouinianus*, inquis, *non habuiſſet alium errorem, quam quod Monachorum & Monialium caſtimoniam quoad meritum æquaſſet caſto matrimonio, immerito inter hæreticos haberetur.* Vulpecula, caput Iouinianæ hæreſis approbas, quod tamen ita inuoluis, vt turpitudo eius minus appareat. Si per Monachorum caſtimoniam intelligis nonnullorum contra Religionis leges libidinem; qualis Lutheri tui vita fuit, iniuriam facis ſanctis Patribus, quod hanc licitis nuptijs antehabuerint. Si virginitatem, ac perpetuam continentiam, quam Religioſi vouent, negas præſtare matrimonio, expreſſe damnatam ab vniuerſa Eccleſia hæreſin foues. Errores à Iouiniano vel inuentos, vel poſtliminio interitus reuocatos, refert S. Hieronymus lib. 1. cap. 2. quorum principem locum tenet: *Dicit virgines, viduas, & maritatas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi non diſcrepent ceteris operibus, eiuſdem eſſe meriti.* Quod cum ex Pammachio viro nobiliſſimo, alijsq; audiuiſſet B. Siricius, Romanus Pontifex Iouinianum & complices in Conſiſtorio Romano condemnauit; vt teſtatur S. Hieronymus epiſt. 50. ad Pammachium cap. 1. *Idcirco, te poſt Dominum faciente, damnatus eſt*, Iouinianus; *quod auſus ſit perpetuæ virginitati matrimonium comparare.* Grauiter S. Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 22. *Iouiniana hæreſis, ſacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ coniugali, tantum valuit in vrbe Roma, vt nonnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, deieciſſe in nuptias diceretur, hoc maximè argumento,*

cum eas vrgeret dicens: Tu ergo melior, quam Sara, melior quam Susanna, siue Anna? & ceteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatißimas fœminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum cælibatum, commemoratione Patrum coniugatorum & prædicatione frangebat. Huic monstro sancta Ecclesia, quæ ibi est, fidelißime ac fortißime restitit. Condemnationis sententiam scripsit B. Siricius ad S Ambrosium; quia Mediolanensis Monasterij apostata erat Iouinianus. quem congregata Episcoporum Synodo etiam Ambrosius damnauit; epistola synodalis est 81. inter Ambrosianas.

§ 4. Falsissimum est Siricium, primam presbyteris & diaconis legem continentiæ statuisse; cuius tu folio 612. testem laudas Polydorum Virgilium. si illum falsum esse sciebas, cur refers, nisi vt illudas lectoribus? si nesciebas, næ tu in Patribus peregrinus es. Ante Siricij Pontificatum scripsit S. Epiphanius contra hæreses; S Ambrosius libros de officijs; longe ante vixerunt Eusebius, Nicæni Concilij Patres & alij; quibus hoc mendacium refellere in promptu est: verba Patrum attuli cap. 1, §. 3. Quam nequiter verba S. Hieronymi maiusculis expressa, in alienum sensum deprauas folio 615. *Quasi non hodie quoque* PLVRIMI SACERDOTES *habeant matrimonia. libro 1.* contra Iouini. Habebant coniuges ante ordinationem ductas, à quarum commercio ad Ecclesiæ ministerium assumpti se abstinebant; quam totius orbis consuetudinem luculenter testatur S. Pater epist. 50. cap. 3. vbi suos contra Iouinianum libros tuetur: *Perspicue* inquit, *nuptias diximus concedi in Euangelio, sed tamen easdem in suo officio permanentes præmia castitatis capere non posse. Quod si indigne accipiunt mariti, non mihi irascantur; sed Scripturis sanctis, imo Episcopis, & presbyteris, & diaconis, & vniuerso choro sacerdotali, & leuitico,*

qui se nouerunt hostias offerre non posse, si operi seruiant coniugali.
§ 5. Tandem, ne vlla paulo insignior fabula huic operi desit, in medium venit epistola Vdalrici Episcopi Augustani ad Nicolaum Papam; quotus vero hic Nicolaus fuerit non exprimitur, quia nullus fuit; nam Vdalricus gubernante Ecclesiam Nicolao I. nec dum natus; & ante Nicolaum II. dudum denatus erat. Gregorium VII. hanc epistolam agnouisse à S. Vdalrico ad Nicolaum Papam scriptam, fabulæ adornandæ adiectum emblema & mendacium est.

Caput IV. & V. De voto Continentiæ.



Apite vtroque disputas, vtrum continentiæ perpetuandæ promissum Deo sit seruandum; hic enim reuera quæstionis status est, non quē tu comminisceris. Macte, de Luthero tuo actum est, ni causam obtinueris; pro qua quinque argumenta educis. Primum; *Castitatem in baptismo omnes vouent; ergo, eam denuo vouere non debent.* Agnoscis ipse hoc ad rem non facere; adde, & antecedens, si proprie de voto loquamur, falsum, & consequentiam insulsam esse. Alterum argumentum; *Qui omnimodam continentiam vouens nuptijs quoque sibi interdicit; matrimonium ipso facto tanquam statum incontinentiæ arguit.* Corrige; is minus perfectam continentiam esse iudicat coniugum; quam se Christi amore castrantium. In vitijs enim matrimonium numerat, *qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit.* S. Augustinus lib. 30. contra Faustum cap. 6.
§ 2. Argumentum 3. *Nemo vouere potest, quod in sua potestate non est: à nuptijs abstinere in valde paucorum potestate esse Chri-*

stus expresse testatur. Matth. 19. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Nec Christi verba reuereris. *Non omnes* exponis, valde pauci; *capiunt*, possunt capere. *Non omnes obediunt Euangelio,* qui tamen obedire poterant, vt probat Apostolus, Rom. 10. & qui obediunt, nisi quibus datum est? *crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.* Act. 13. Gratia Dei opus est tam ad fidem, quam ad continentiam; nec ideo in manu nostra esse negantur; cum eos, qui salutis suae satagunt, Deus nunquam deserat. Quod virtutes eiusmodi non omnes capiant, impie in Deum tanquam eius abbreuiata sit dextera, refertur, qui liberi arbitrij nostri defectus est, & orationis, abstinentiae, aliarumue tuendae castitatis auxiliarium copiarum dimissio. Tuus Epicurei porci folio 625. grunnitus est, plerosque ad nuptias à Deo conditos esse; qui pro continentia orando adeo nihil impetrant, *ac si precarentur, ne in terra gramen succresceret.* Audiamus S. Augustinum de Christi verbis Catholice differentem capite 4. de gratia & libero arbitrio, vbi haec ad Monachos scribit: *Primum de ipsa vestra professione aliquid dicam, neque enim congregaret vos ista societas, in qua continenter viuitis, nisi voluptatem coniugalem contemneretis. Hinc autem Domino loquenti cum dixissent discipuli: si talis est causa homini cum vxore, non expedit nubere; respondit eis: Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Numquid non liberum arbitrium Timothei est exhortatus Apostolus dicens; contine teipsum? Et in hac re potestatem voluntatis ostendit; vbi ait; non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, vt seruet virginem suam: & tamen non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est, sic volunt vt impleant quod volunt. Itaque vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & DEI donum est, & liberum*

berum arbitrium. De ipsa quoque pudicitia, coniugali nempe Apostolus ait. Quod vult faciat, non peccat si nubat, & tamen hoc etiam DEI *donum est, dicente Scriptura: A domino iungitur mulier viro. Ideo Doctor gentium & pudicitiam coniugalem, per quam non fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam, per quam nullus concubitus quæritur, sermone suo commendãs, & hoc & illud donum* DEI *esse demonstrat, scribens ad Corinthios & admonens coniuges, ne se inuicem fraudent: quos cum admonuisset, adiecit: Vellem autem omnes homines esse sicut meipsum: quia* VTIQVE *ipse ab omni concubitu continebat. Et continuo subiunxit: sed vnusquisque proprium donum habet à* DEO, *alius sic, alius autem sic.*

§3. Quin nec ambigendum est, difficilius à multis seruari coniugij iura; quam seruassent continentiæ vota. Facilius ab ebrietate se continet, qui ab omni vino abstinere; quam qui ex suo solum dolio bibere constituit. Neque enim semper secum vxorem feret, si peregre abeundum sit; & domi quoque puerperæ, aut ægræ, longiori sæpe tempore, parcendum erit; præsentibus alijs, vel interdiu ea abuti pudor & Christiana modestia prohibebit; cum illa minime exsaturandæ libidinis, vt Prædicantes sentiunt, vas, sed prolis generandæ educandæque adiutrix sit. An in potestate hominis est se continere interdiu, non noctu; absente, morbida, aut heri defuncta coniuge; non autem, illa præsente, & valente? Aduertit hoc etiam S. Augustinus libro 2. de adulterinis coniugijs cap. 19. & 20. ille maritos, qui adulteras vxores repudiarunt; ego clericos eius verbis alloquor; *Hos igitur alloquor, vt quod facere deberent, si haberent coniuges diuturno languore marcescentes, vel loco sibi inaccessibili absentes, vel animositate illicita continentes: hoc faciant. Quinimo cum à fœminis vtique habentibus carnem, tantam flagitant castitatem, vt quando ab vxoribus diutissimè pe-*

regrinantur, velint eas ab adulterino concubitu incontaminatas feruorem transigere iuuentutis: & plurimæ pudicissimè transigant & maxime Syræ, quarum mariti negotiandi quæstibus occupati, iuuenes adolescentulas deserunt, & vix aliquando senes ad aniculas reuertuntur: eo ipso euidentius conuincuntur non esse impossibile, quod se non posse causantur. Si enim hoc non posset infirmitas hominum, multo minus id posset sexus infirmior fæminarum. Dein proponit ijsdem maritis exemplum clericorum, qui inopinanter ad Clericatum rapti, vsque ad finem in continentia perseuerant. Addo, iuuenum & virginum innuptarum: si valde pauci sunt continentes, ergo plerique ante nuptias, quas 20. 24 aut 30. ætatis anno contrahunt, multo tempore vitam libidinose transegerunt. Nam si vnquam acres sunt petulcæ carnis stimuli, in adolescentibus ac iuuenibus sunt, quibus tamen ad illos retundendos tantum consilij, experientiæ, virilis constantiæ non est, quantum prouectiori ætati. Si ergo in potestate cuiusque adolescentis annos 16. 17. 18. nati est, se ab omni etiam coniugali copula continere, cur id non sit anno 25. 26. &c. quando nimius iuuenilis sanguinis æstus nonnihil deferbuit; & ratio ac sapientia, quæ appetitui dominatur, magis magisq; increuit? Folio 625. meministi, quanta contentione SS. Hieronymus & Franciscus libidinis flam̃am restinxerint: quam tamen illæsi non euaserint. Calumniaris viros sanctos; vnde enim tibi constat, eos in his laboribus vel minima venereæ voluptatis macula sorditatos esse? Succenderit fornacem infernus Nabuchodonosor; in medio igne viri sancti steterint; an ideo vstos, vel adustos esse cogitabimus? sed sanctiora vos salacissimi hirci meditari insueti estis.

§ 4. Argumentum 4. & 5. *Votum continentia Deo displicet; non est spontanea oblatio.* Vtrumque tua est spontanea crimi-

natio

natio. Coacta vota nec nos probamus; sed sponte oblata, vt Deo reddantur, exigimus. Necessitas, quæ votum sequitur, non minus tollit spontaneum, quam seruitus, quæ per nuptias contrahitur; an ideo coacte diliget vxorem maritus, quia insolubili nexu ei adstringitur? imo, hinc crescit amor, & firmatur. Eodem modo, qui Christo se deuouent, ei vnice, & multis animæ delicijs adhærent; spontaneorum compedum potius lætantur honore, quam grauentur onere. Senserunt id mariti, qui necessitate quadam vxoribus carebant; non libera præeunte electione; & ideo sub onere gemebant, indolentes quod suam continentiam non decoraret votæ castitatis gloria: quos S. Augustinus libro 2. de adulterinis coniugijs, cap 19. consolatur: *Non eos frangat, quod videtur eorum continentia necessitatis esse, non voluntatis: quia & illi qui eam* VOLVNTATE *delegerunt, fecerunt eam esse necessitatis; quoniam iam sine damnatione ab ea deuiare non possunt: & qui in eam necessitate contrusi sunt, faciunt eam esse voluntatis; si non de se ipsis, sed de illo, à quo est bonum omne, confidunt. Illi ad eam conscenderunt causa* MAIORIS GLORIÆ, *vt aliquid amplius inuenirent, isti ad eam confugerunt cura salutis nouissima, ne perirent: vtique permaneant, vtrique in quod peruenerunt ambulent vsque in finem, ferueant studijs, supplicent votis; quia & illis salus cogitanda est, vt ab eo, quod voluntas arripuit, cadere timeant; & istis gloria desperanda non est, si in eo quod necessitas intulit, persistere deligant.*

§ 5. Capite 5. furis, quod asseratur grauius delinquere sacerdotem, si vxorem ducat, quam si cum scorto fornicetur. Inauditum Christianitati hoc dogma esse vociferaris, contra publicam honestatem, veteres canones, & antiquorum Doctorum consensum. Iam de hac re egi articulo 4. capite 2. §. 7. vbi S. Ambrosium ex vniuersæ Ecclesiæ indubio sensu audiuisti: tu quos canones & Patres

 loque-

loqueris? Affers vnicum Concilij Neocæsariensis canonem. *Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere: Quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abijci, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet.* An non erubuisti, dum tantæ vetustatis decretum, annorum scilicet prope 1300, contra Lutherum tuum producis; ex quo clare intelligis pro criminoso habitum sacerdotem nuptias attentantem. sed mitius inquis, punitur, quam scortator vel adulter: sit ita, id fieri potuit ob aliquã ignorantiæ præsumptionem. verum seueritatem perpetuæ depositionis minime intelligis; & de fornicatoris pœna ita habet græcus textus; ἐξωθεῖσθαι πέλαιον, καὶ ἄγεσθαι αὐτὸν εἰς μετάνοιαν; quare hunc canonem 1000. abhinc annis reddidit Dionysius Exiguus; *amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.* Allegas tandem tres Cypriani, Epiphanij, Hieronymi sententiolas; sed te fumos vendere intelliget, qui Bellarminum tomo 1. capite 34. de Monachis legerit. Patres illi minime loquuntur de nuptijs post solemne votum contractis. S. Hieronymi verbis hunc articulum finio: *Et si nupserit virgo, non peccauit. Non illa virgo, quæ semet Dei cultui dedicauit. harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.* 1. Timoth. 5. *Virgines enim quæ post consecrationem nupserint, non tam* ADVLTERÆ *sunt, quam* INCESTÆ. Lib. 1. contra Iouinianum, cap. 7.

ARTICVLVS XVIII.

De communione sub vtraq; specie.



DE SS. Eucharistiæ vsu hic perpetuus Ecclesiæ sensus fuit, Christum Dominum eam quidem sub specie panis & vini instituisse in vltima cœna, &

na, & Apostolis suis, quos sacerdotes tunc initiauit, vtramque speciem in sacrificio offerendam præcepisse; extra sacrificium vero sacramentum hoc sub vna, vel vtraque specie dispensandum Ecclesiæ commisisse. In hunc scopum tela tua dirigere debebas, & non probare, quod Apostolorum tempore, vel postea, vtraque species etiam laicis distributa sit. Id enim nobis nihil aduersatur, qui modo vnam, modo vtramque, prout Ecclesia disposuit, administratam esse tradimus: quibus tu victas manus das, quoties ad exempla, quibus vnius tantum speciei vsus probatur, respondes id non fuisse perpetuum. Sufficit, & abundanter sufficit, quod vnius speciei vsus perpetuo ab Apostolis vsque in Catholica Ecclesia fuerit; vt recte scripsit Episcopus Seccouiensis: cui imperite obijcis, ante Concilium Constantiense fuisse liberum, vtramque speciem sumere. interim verum manet semper aliquos vnam tantum sumpsisse. At SS. Leo & Gelasius Romani Pontifices suo tempore vtramque speciem sumi volebant; ad discernendos Catholicos à Manichæis & Priscillianistis, qui ideo à calice abstinebant, quod vinum tanquam natura malum detestarentur. hinc concludis *crassum, ac toti mundo exploratum mendacium* esse; cum asseritur, semper vnam speciem in vsu fuisse. Noli furere. Manichæi & Priscillianistæ non erant vbique; nec regna & prouincias ab his hæresibus puras leges Pontificiæ vrgebant. In locis vero, vbi illæ erant, obseruari iubebantur, qui nunquam calicem sumerent, sed auersarentur; interdum ergo debebant sumere Catholici, non semper, vt ex S. Leone ser. 4. de Quadragesima discimus; adeoque nec tunc sublata fuit omnino sub vna specie communio.

§ 2. Nihil sacris litteris aduersari vnius speciei vsum, quin ex ijs confirmari, plures è nostris luculenter osten-

derunt. In veteri testamento illustrissimæ figuræ, Lignum vitæ, Gen. 2. & 3. Agnus paschalis, Exodi 12. Manna, Exodi 16. Panes propositionis, Exodi 40. vnam solum speciem referunt. Tu folio 683. ad quædam respondes. *Eadem nocte, eodem loco*, inquis, *non solùm caro agni paschalis edebatur; verum etiam illius sanguis postibus ac superliminari domus illinebatur, quæ figura sanguinis Christi fuit*, pro nobis in cruce effusi, quo à deuastante Angelo liberati sumus; quare agni sanguis non potabatur, sed dispergebatur, & quidem priusquam carnes eius comederentur; quæ SS. Eucharistiæ calicem non repræsentant. Aquæ item è petra fluentes, Exodi 17. sanguinem in cruce fusum, & spiritualem gratiæ potum significant: rectè tamen tam his, quam agni paschalis sanguine etiam Christi sanguinem, qui in sacramento sumitur, præfiguratum intelligimus. at eo potitur, qui vel vnam speciem accipit, quam sufficere hæ ipsæ figuræ nos instruunt. nam nec aqua nec agni sanguis vtrâq; refert speciem: nec aqua cum manna, sed separatim data est: carnes eadem die comederint, qua sanguine consperši fuerant postes; vtraque tamen distincta ceremonia erat, & aliquot horarum interpositu disparari poterat. Hinc vero minime sequitur, vt tu contra nos insulse argumentaris, inconueniens aut illicitum esse vtramque speciem simul sumere: tametsi enim id figuræ illæ nobis non exhibeant, & quasi taceant, adeoq; non requirant, non tamen improbant, seu reprehendunt. Panes propositionis à sacerdotibus comedebantur; quo significatur, ne ad sacram synaxin nisi à peccatis puri & sancti accedant, non quod soli sacerdotes admittendi sint. Similitudo & analogia in figuris desideratur, haud plena æqualitas; vt tu nugaris. Obijcis Melchisedech panem & vinum protulisse. Vtrumque obtulit; sicut & hodie sub vtriusque speciebus Chri-
stus

ctus offertur; quod ea Abrahamo ad vescendum & bibendum ministrarit, non legitur; nec si legeretur, nobis aduersaretur, qui communionem sub vtraque specie olim ab Ecclesia permissam, atque etiamnum quibusuis permitti posse profitemur. Nam quod vel semel agitur, recte præfiguratur.

§2. In nouo testamento, de SS. Eucharistia laicis administrata accipimus S. Lucam, capite 24. Euangelij; Cap. 2. ac 22. Actuum; nulla his locis calicis mentio. In Actis de sacramento agi nec tu inficiari ausus es: sed nos ipsos, instas, non posse à fractione panis separare calicem, quem ad consecrationem necessario requiramus. non agitur de consecratione, sed de distributione sacramenti, quam S. Lucas fractionem vocat, ac calicis vsum fidelibus communem non fuisse significat, dum panem duntaxat, (qui de cœlo descendit & visibili panis specie regitur) distributum memorat. Discipulis in Emaus profectis Christum sub panis specie corpus & sanguinem suum dedisse post S. Augustinum, Bedam, Theophylactum, Euthymium recte tradunt, quicunque tradunt; & licet quidam aliam sequantur expositionem, priorem tamen probabilem esse nemo iure negarit. Tu eam excludens quam ridiculus es! folio 678. *Discipuli*, inquis, *non viderunt primam in vltima cœna sacramenti administrationem: quomodo ergo ex illa Christum potuerunt cognoscere?* Vnde probas illos non adstitisse cœnæ vltimæ? sed id nihil ad rem. Qui corpus suum illis distribuit, is corda iam ante alloquio ipsius calefacta, veritatis radijs illustrauit; vt quod sumebant, intelligerent. *Cleophas*, ais, *illiusq; comes erant ex 70. discipulis: ergo vtraque species eis danda erat.* Consequentiam proba, comparas ipsos sacerdotibus, quales tunc non fuisse liquidum est. Sed & sacerdotes extra sacrificium vnam sumunt speciem; quod

tibi quasi in altero orbe versanti incognitum est; vnde etiam folio 652. contra nos disputas; S. Ambrosium moribundum non communicasse sub vna specie, vt eius habet historia, quia sacerdos erat; qui ex nostra doctrina sub vtraque communicare debebat. Rerum nostrarum tam ignarus, mauis delirare, quam eas indagare.

§ 4. Post Apostolos vsum vnius speciei semper perseuerasse, ex Patribus, & varia Ecclesiarum praxi ostenditur. Ante 1200. 1300. annos panis speciem domum secum deferebant, vbi tempore commodo sumebant, vt testantur Tertullianus, de Oratione; S. Cyprianus de lapsis. Pro ægrotis vna tantum species asseruabatur; nam species vini facile corrumpitur; quam interdum, in vnius vel alterius ægri, qui sacramentum postularat, vsum, perbreui tempore à peracto sacrificio retentam, non multum contenderim; sed ad incertos casus, & improuisa pericula vna solum seruabatur panis species. Præterea, pro numeroso populo non sufficiebat vnus calix; nec vbique erant plures sacerdotes, qui sæpius sacrificarent; sumebant ergo ex calice, quando pro populo quoque consecrabatur, quot poterant; reliqui solam panis speciem accipiebant. Hinc nunquam de calicis reliquijs quid legimus; sicut de reliquijs, quæ ex speciebus panis superabant; & inter innocentes pueros distribuebantur. Quidam etiam vel nunquam biberunt vinum; vel ex morbo, sine nausea ac vomitus periculo id bibere nequeunt, quibus sine sacro viatico hac vita discedendum foret, si vnius speciei vsus esset dimidiati sacramenti sacrilegium.

§ 5. Ad hæc non omnino mutus es, sed quoties loqueris tuam prodis insipientiam. Consuetudinem, qua SS. Eucharistiam domum portabant, ais folio 648. reprobatam à Concilijs; posterioribus scilicet; postquam animaduersum

sum est apud multos valde intepuisse caritatem primam, nec satis tuto credi populis thesaurum tantum; quem domum deferant. Ostende illam improbatam ante annum à Christi nato trecentesimum, quando nec tam securum erat in multa sacramenti administratione diu persistere, propter infidelium multitudinem; nec templa ad communicandum tam idonea habebantur; & Christianis ad imminens quotidie martyrium expeditis amplius fidi, & concedi poterat. Desine igitur stupere à Concilijs postea grauissime prohibitum esse, quod ante laudabiliter permittebatur. Stupidus facile stupet. Stuporis alterum argumentum est, folio 665. *inueniuntur plures calices pro summo altari destinati fuisse*: quid tum? an ideo falsum est in altari vnum tantum calicem vsurpatum esse? Etiam pro tuo corpore habes plura indusia, quibus per vices vtaris: multos calices ab vno sacerdote simul consecratos esse ex nullo veteri probæ notæ auctore ostenderis. Arianos taxat S. Gregorius Turonensis, quod duos calices consecrarent, quorum altero Reges, altero plebem ceteram communicabant. libro 3. histo. Franco. num. 31. Tempore S. Bonifacij Archiepiscopi & Martyris nescio quis plures calices in ara reponere ausus est; sed morem peregrinum auersatus Bonifacius Romanum Pontificem consuluit; respondit B. Gregorius III. vel vt quidam computant, II. *Congruum non est duos vel tres calices in altario ponere, cum Missarum solemnia celebrantur.*

§ 6. De calicibus ministerialibus meminit, qui contra Lutherum disputauit Cardinalis Caietanus in commentarijs super partem 3. summæ S. Thomæ q. 80. art. 12. sed per modum obiectionis, non assertionis. Si ad ministrandum tantum, non ad offerendum seruiebant; aliquid ex calice consecrato in eos fundebatur, quo deficiente, vi-

num purum apponebatur, vt D. Pistorius te docuit. Mitaberis Caietanum à me nominari, cum Thomam Aquinatem super ea re citaueris. tales Doctores estis, qui nec commentarios & glossas à textu discernatis. Nec vnus hic error tuus est. Fol. 663. itidem Thomam Caietanum transformas in S. Thomam Aquinatem; vt & folio 645. vbi de Aquinate scribis: *aliquot bonis firmisq; rationibus probat, melius esse vtramque speciem sumere; quam vnam.* Rationes nouem ex eo refers; bis nouem mendacia: nouem, dum S. Aquinati adscribis, quæ Caietani sunt; iterum nouem, dum tanquam firma commendas, quæ Caietanus per formam obiectionis attulit, & infirma esse ea soluendo ostendit, in 3. p. quæst. 80. art. 12. q. 2. & 3. Ad primum q. 2. aperte scribit: *Non est vtilius sumere totum sacramentum, quam partem sacramenti, vbi tota vis sacramenti non minus est in parte, quam in toto; sicut est in proposito.* Quid mirum, si tot fraudes in veterum Patrum testimonijs committatis, cum eas nec intermittatis in recentiorum scriptis, ex proposito contra vos editis?

§7. Eodem folio 645. nihilo felicius producis S. Thomæ binas sententias Latinè; quarum summam præmittis Germanicè; *Thomas Aquinas*, ais, p. 3. q. 76. a. 2. *indicat ex grauibus causis multo melius esse, vt fidelibus vtraque species detur; Quamuis, inquit, totus Christus sit sub vtraque specie, non tamen frustra.* SCILICET *datur sub vtraque specie. Et paulo post, quæst. 80. art. 12. iterum aliquas causas affert: Quod non liceat corpus Christi sumere sine sanguine.* In priori loco tuum SCILICET, quo totum testimonium nititur, est mendacium; & sic emendandum; non tamen frustra altera species est à Christo instituta. Quæst. 80. art. 12. S. Thomas ex instituto commendat vnius speciei vsum; contra quem more suo tres formauit obiectiones, quas solide refellit;

effrons

effrons Prædicans obiectiones tanquam S. Doctoris sententiam allegat eadem fide, ac si quis assereret à S. Thoma negari, quod sit Deus, idque bonis argumentis probati p. 1. quæst. 2. art. 3. quia veritatis elucidandæ gratia præmittit; *videtur quod Deus non sit: Quia*, &c. rationes à se propositas mox ipse euertit; & Deum esse elegantissime demonstrat. Quis oculis tam gramosis sit; qui tam crassos dolos non videat? Aquinati dicis accedere Guilielmum Durandum; videlicet, quod vtilius sit populo dare vtramque speciem, libro 4. Rationalis cap. 42. & 52. ea recentis mendacij accessio est.

§ 8. Folio 667. Disputare incipis de præcepto communicandi sub vtraque specie In ptimo agmine militant Scripturæ: *Non addetis ad verbum quod ego loquor vobis, nec auferetis ex eo*. Deut. 4. *Nec addas quicquam, nec minuas*. Deut. 12. *Docentes doctrinas, & mandata hominum*. Matth. 15. Ex his immotis Scripturis subsumitur: *Christus nullibi præcepit Laicis vnam tantum speciem: Ergo prohibuit*. Papæ, quam incondita effutis? ex quibus facilius probaueris vtramque speciem prohibitam; quam in præcepto esse. Nam verba & præcepta Mosis, Deut 4. & 12. nihil omnino de corporis & sanguinis Christi sumptione habent; si ergo nihil addendum, nihil demendum; tollatur sacramentum Eucharistiæ; restituatur circumcisio. sed de harum Scriptutarum abusu iam egi, art. 3. §. 4. Item, Lutherus tomo 1. Germa. Ienensi, folio 111. exptesse scribit. *Hoc verum est, quia Christus non præcepit vt omnes sacramentum percipiant, non tantum vna species, sed etiam nulla accipi potest, vt aliqui Eremitæ fecerunt*. Subsume: Ergo vtramque prohibuit; quia neutram præcepit, vt tuus, quamuis falso, tradit Lutherus loco citato, & clarius fere in captiui. Babylo. vbi scribit: *cum Christus non præceperit vlla* (specie) *vti; sed in arbitrio cuiuslibet re-*

liquit, dicens; quotiescunque hæc feceritis in mei memoriam facietis. At alibi aliter sensit? ita est; quia sola veritas perpetuo sibi constat.

§9. Nec ex nouo testamento, in quo de hoc sacramento agitur, vllum præceptum vtriusque speciei extra sacrificium sumendæ datur; non repeto toties à nostris tam plane declarata, ex tuismet, & Lutheri tui verbis id ostendo. Non constare de præcepto ex verbis Christi; *Accipite, manducate, bibite*, fatetur Lutherus tomo 3. Ienen. Germa. folio 498. & tu folio 670. scribis: *ex illis de neutra specie demonstrari præceptum posse; cum solis Apostolis dicta intelligi queant; nisi pariter mandasset Christus: Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui hæc verba sancti Patres rectissime de sacrificio corporis & sanguinis Christi exposuerunt; & Apostolis tanquam Sacerdotibus mandatum esse voluerunt: Hoc offerte in meam comemorationem, ita S. Dionysius Areopagita parte 3. Ecclesiast. Hierar. capite 3. Iustinus in dial. cum Tryphone, Irenæus lib. 4. cap. 23. Cyprianus ep. 63. omitto alios; horum enim quatuor Christi Martyrum, qui ante 1300. 1400. 1500. annos vixerunt, grauissima cuiuis debet esse auctoritas. Sed & ipsa sese interpretatio commendat, cum plana, & verbis accomoda sit; nam Facere & Latinis, Græcisq; interdum, & frequentius Hebræis significat Offerre seu sacrificare. Leuitici 16. ver. 9. *offeret illum* (hircum) *pro peccato*; Exodi 10. ver. 25. ait Moses Pharaoni: *Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro*; vtroque loco in Hebræo est verbum עָשָׂה Facere; *faciet illum pro peccato; faciemus Domino.* Quid opus est exemplis, ipsemet folio 671. fateris. *Facere*, inquis, *nullibi in Scriptura significat proprie sacrificare, nisi vbi de sacrificio agitur.* Subdis; *sed in institutione Cœnæ non de sacrificio, sed de esu corporis, & potu sanguinis Christi agitur.*

Agno-

Agnoſcis ergo nullum ex Scriptura vtriusque ſpeciei ſumendæ præceptum euinci, ſi Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum etiam in ſacrificio offerri voluit; quod vnicum proprium, ac iuge in Eccleſia ſacrificium nullus vnquam Chriſtianus negauit; imo nec hæreticum tam perditum inuenio ante Bogomiſos, qui circa annum 1100. elapſis vndecim à Chriſto ſeculis orti ſunt, vt referunt Zonaras ad finem Annalium; & Euthymius parte 2. panopliæ, titulo 23.

§10. Sed enim demus verborum Chriſti: *Hoc facite in meam commemorationem*; ſenſum eſſe; manducate, bibite, ex Euangeliſtis habet ea vnus Lucas capite 22. & poſt ſolam corporis Chriſti ſub panis ſpecie inſtitutionem; ad calicem hæc verba non repetuntur. Similiter Apoſtolus 1. Corinth. 11. ad panis ſpeciem dicta eſſe teſtatur; ad ſpeciem autem vini iſta: *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem*; vbi attentis ſolum verbis nullum bibendi præceptum datur; ſed, ſi qui biberint, Domini memores eſſe iubentur. De communi pane, & quouis potu monet Apoſtolus eadem epiſtola capite 10 *ſiue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; non præcipit, vt edamus, & bibamus; ſed, ſi cibum aut potum ſumpſerimus, id in Deum referri voluit. Adde, ſecluſa Eccleſiaſtica interpretatione non conſtare de abſolutis etiam imperandi modis, an vere mandatum; vel monitum ac conſilium, vel meram operandi licentiam ſignificent. Nam conuiuis quoque dicit conuiuator: edite, bibite: quos ad id inuitat, nihil imperat. Quare recte infantilem ſyllogiſmum tuum ipſe appellas folio 676. *Per modum imperandi aliquid præcipitur: Edat, bibat,* 1. Cor. 11. *ſunt imperatiui modi; ergo quid imperant.* Imperatiua dicuntur verba Grammatice, quibus ſæpiſſime nihil imperij ineſſe

lippis ac tonsoribus notum est; vt omittam Apostolum minime indicere, vt edamus, vel bibamus; sed prohibere, ne id quis facere attentet priusquam se debite præparauerit. Profecto si litteram solum obseruemus de Eucharistiæ sumptione non inuenio, quod de pedum ablutione scriptum est: DEBETIS *alter alterius lauare pedes.* cur præceptum non accipimus, nisi quia Ecclesiæ sancto Spiritu litteram interpretanti credimus? Ab hac, non ex Grammatica verborum potestate petendum est, quæ in præcepto, aut liberæ dispositioni nostræ commissa sint.

ARTICVLVS XIX.

De Confirmatione, Extrema Unctione, & aqua benedicta.

DE Confirmationis sacramento, ac sacro Chrismate disputas ex tuo Kemnitio, & alijs eiusdem furfuris, quibus luculenter respondit Bellarminus tomo 2. integro libro. aliquas saltem tuas ineptias, ac errores recenseo. Folio 698. primum tuum argumentum est; Confirmationem sacramentum non esse, quia materia & forma eius in Scripturis non leguntur. Nec hoc in illis legitur, nihil credendum esse, nisi quod eæ aperte describunt. Nec baptismi integra forma in sacris litteris tam expresse habetur. Et sicut baptismi materia remotior est aqua; proxima vero vsus aquæ, seu ablutio; ita Confirmationis remota materia est Chrisma, propinqua autem est inunctio frontis, seu manus in fronte impositio; de qua Actorum 8. Petrus & Ioannes *orauerunt pro ipsis* (Samaritis) *vt acciperent Spiritum sanctum; nondum enim*

enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Et Act. 19. *Baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Habes formam huius sacramenti esse orationem; materiam proximam manus impositionem; ministrum Episcopum, quales erant Apostoli. quare Samaritas Philippus diaconus baptizauit; sed ad manus imponendas in Samariam descenderunt duo Apostoli & Ephesij non à Paulo baptizati sunt, vt patet ex 1. Corinth. 1. manus vero Apostolus imposuit. Effectus sacramenti est gratia Spiritus sancti, diffusa in cordibus iam baptizatorum; quæ in primitiua Ecclesia sæpe etiam in externa signa effundebatur; loquebantur linguis; sicut & Apostoli Act. 2. qui Confirmationis effectum, gratiæ maiorem copiam, seu vt Scriptura loquitur *virtutem superuenientis Spiritus*, in Pentecoste acceperunt extraordinario modo, sine sacramento, primitiæ scilicet Episcoporum, qui alijs postea tale Spiritus robur seu confirmationem per institutum à Christo sacramentum contulerunt; neque enim hæc inferior Spiritus sancti virtus subtrahitur; tametsi linguæ & alia externa signa cessarint. Recte S. Augustinus tract. 6. in Ioannem: *Numquid quando imposuimus manum istis infantibus attendit vnusquisque vestrum, vtrum linguis loquerentur, & cum videret eos linguis non loqui, ita peruerso corde aliquis vestrum sit, vt diceret, non acceperunt isti Spiritum sanctum?* Omnino de Confirmatione nostra loquitur S. Pater, quam olim etiam infantibus statim à baptismo administrabant Episcopi; hodie datur ratione iam vtentibus, vt suscipiatur reuerentius.

§ 2. Contra Scripturas igitur, non contra nos tantum obstrepis: *Per Confirmationem multum imminuitur baptismi dignitas*; folio 699. *dum negatur, quod is perfectum Chri-*

stianum efficiat; folio 700. *& Confirmationi postponitur*; *quandoquidem hæc ab Episcopis, ille ab inferioribus presbyteris administratur*; folio 701. Audi; Baptismus est *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti*; ad Titum 3. *Nisi quis renatus fuerit*, inquit Dominus, *ex aqua & Spiritu sancto*. Ioan. 3. ad hoc ille institutus est, quod etiam plene præstat; perfecte renascimur; adeoque perfecte Christo incorporamur, & Christiani simus; quemadmodum infans hodie natus est perfectus, non mutilus homo; viribus tamen imbecillus, nec viri robur habet; hoc enim robur non confert natiuitas, sed solidior ætas. Simili modo baptismo regeneramur; Confirmatione induimur virtute ex alto, & auctiori gratia roboramur; quæ gratiam in baptismo datam tantum exsuperat, vt per eum interdũ Spiritum sanctũ dari negetur; non quod non detur, sed quia minora eius dona sunt, si cum Confirmatione comparentur. Visitata enim Scripturæ phrasis est; vt non esse asseratur, quod alteri posthabetur. Iam acceperant Spiritum sanctum Apostoli Ioan. 20. & antea quoque habebant; nec enim cum Christo sine eius spiritu viuebant; & tamen legimus; *nondum erat Spiritus datus*, Ioan. 7. sed venturus, atque à Christo post ascensionem mittendus promittitur. Et Act. 8. iam audiuimus de baptizatis in Christo dici; *nondum in quemquam illorum venerat*; venerat vtique, at tantis gratiæ diuitijs eos non locupletarat; sicut in manuum impositione. Quid mirum ergo, si maior in Ministro requiratur dignitas, quando peculiariter repræsentatur Spiritus sancti virtus & maiestas?

§3. Huic tanquam principi causæ, & Christi meritis accepta refertur, quæ per sacramentum confertur gratia; chrismati tantum vt instrumento; & quæ tu folio 713. contra id effundis; in baptismatis fontem Gentilis vel Iu-

dæus

dæus detrullare poterit. Qui aquæ ſanctificandi vim contulit, is illam chriſmati etiam conferre voluit; quod ſuos Apoſtolos in vltima cœna conficere docuit; vt teſtatur S. Fabianus epiſt. 2. & certius Eccleſiæ traditio. cui folio 702. opponis S. Thomam Aquinatem p. 3. quæſt. 72. art. 1. vbi ex propoſito docet non ab Apoſtolis, ſed ipſo Chriſto hoc ſacramentum eſſe inſtitutum. Idem veterum ſenſus eſt; qui hoc ipſo Confirmationis auctorem Chriſtum agnoſcunt; quod eam ſacramentum eſſe ſentiunt: *Caro vngitur*, ſcribit cap. 8. de reſurrectione carnis, antiquiſſimus Tertullianus, *vt anima conſecretur, caro ſignatur, vt anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur.* B. Theodoretus in capite 1. Cantici: *Spiritualis vnguenti chriſmate inuncti ſub ea viſibili ſpecie Spiritus ſancti gratiam inuiſibilem percipiunt.* S. Auguſtinus libro 2. contra litteras Petiliani cap. 104. *Sacramentum Chriſmatis, in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt.* quod miraculo comprobatum narrat B. Optatus: *Ampullam Chriſmatis per feneſtram vt frangerent iactauerunt* (Donatiſtæ) *& cum caſum adiuuaret abiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam ſpirituali ſubuectione deduceret.* Hoc ſcilicet ab hæreticis mutuata eſt vetus Eccleſia, vt folio 704. deliras. Scribit S. Irenæus libro 1. capite 18. de Valentinianis & Marcianis (non Marcionitis, vt folio 704. loqueris) qui & baptiſmum & vnctionem baptizatorum ſuperſtitionibus corrumpebant; hos tu ſacramenti Chriſmatis auctores deligis, forte & baptiſmatis. Sacra nonnulla retinent hæretici, nec ideo nobis ſacra eſſe deſinent.

§ 4. Folio 707. Ampliter mentiris ante Gregorium Magnum Pontificem Romanum chriſma ex puro oleo ſine admixto balſamo confectum eſſe: taceo alia, trecentis quinquaginta annis antiquior fuit Cyprianus, vel alius

Cypriani ſynchronos, qui ad S. Cornelium de vnctione chriſmatis ſcribit: *Hodie* (feria 5. ante Paſcha) *in Eccleſia ſacrum chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum, regiæ & ſacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem.* Hunc auctorem ais eſſe dubium, folio 705. ſed indubium eſt fuiſſe virum Catholicum, qui ante annos 1352. ſcripſerit; cuius proinde teſtimonium iure commendamus. Ibidem, & ſæpius antea S. Cyrillum Hieroſolymitanum, quia vobis aperte aduerſatur, refers ex Ruffino, aliquando variaſſe in fide, ſæpius in communione. Sit ita; catecheſes ab eo ſcriptas erroris nec Ruffinus; nec alius inſimulat. Sedenim falſum eſſe Ruffinum, & viri ſancti obtrectatoribus nimis credulum ex Oecumenicæ II. Synodi auctoritate comprobatur, cuius litteras ſynodicas refert Theodoretus lib. 5. hiſto. cap. 9. in quibus Patres prædicant *Cyrillum ſanctiſsimum, plurima prælia aduerſus Arianos varijs in locis confeciſſe.*

De Extrema Vnctione.



PRo hac ſunt varia Concilia, quæ folio 721. recenſes, ſed ea tanti non facis, quia intra 800. annos habita ſunt; intra quos ſcilicet omnes deſipuerunt. Verum antiquior eſt Innocentius I. & Concilium Nicænum I. de vtriusque auctoritate ideo dubitas, quia tuo palato ingrata habent. Dic qua veroſimili perfidiæ ſuſpicione laborent canones Nicæni ex Arabico translati? Epiſtolam Innocentij agnoſcunt Synodus Wormatienſis 740. abhinc annis celebrata; & in Iacobi cap. 5. venerabilis Beda, qui ante annos 900. floruit.

§ 2. Nec S. Iacobo Apoſtolo parcitur; cuius epiſtola in dubium vocatur, folio 717. aliquibus olim dubitare licuerit; re

rit; re tam aperte definita, dubitare nefas est; quod ex ipsis S. Hieronymi verbis, quæ refers, discere poteras: *Vnam*, ait ille de S. Iacobo, *scripsit epistolam, quæ de septem Catholicis; quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem*: qua auctoritate innitens epistolam illam tanquam indubie Apostolicam postea opposuit hæretico Iouiniano lib. 1. cap. 24. de eadem testantur ex Græcis, Latinisq; Patres clarissimi; qui vero dubitarunt; quam obscuri sunt? Eusebius lib. 2. histo. cap. 23. de hac epistola scribit: *Sciendum, ὡς νοθεύεται*; quod notha sit vel adulterina, inquis; at Græci verbi hoc loco significationem recte intellexit Ruffinus vetus Eusebij interpres, qui ita reddidit: *Sciendum tamen est, quod à nonnullis non recipiatur*: & paulò post in Eusebio sequitur: *Nos tamen scimus etiam istas* (Iacobi & Iudæ epistolas) *cum ceteris ab omnibus pene Ecclesijs recipi*. Nullus certe veterum ideo exclusit, quod sacram infirmorum Vnctionem tradat.

§3. Ipse aduertis grauiorem esse huius Epistolæ auctoritatem; quare eam in tuas partes trahere, & Scripturæ serenitatem falsa interpretatione turbare aggrederis. Verba igitur reddo: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*. cap. 5. Oratio fidei est forma sacramenti, materia oleum; ministri sunt presbyteri, quorum vnus communiter sacramentum perficit, ceteri comprecantur; sed quia plures requiruntur secundum quandam decentiam, non ad sacramenti essentiam, id fere iam ab vno administratur: & illud; *inducat presbyteros*, recte exponimus, vnum è presbyteris. sic quod in Hebræo legimus, *sepultus est in ciuitatibus Galaad*, Iudicum 12. intelligi-

mus, in vna ciuitatum Galaad. Effectus Extremæ Vnctionis sunt triplices. 1. sanitatis restitutio, qua ad animæ salutem facit; *saluabit infirmum*; 2. depulsio torporis seu mœroris peccatum consequuti, quo mens nonnihil deijcitur; ad resistendum malo, & bonum prosequendum imparatior redditur; ab his peccatorum reliquijs, ceu quadam sarcina animum aggrauante *alleuiabit eum Dominus*. 3. abstersio peccatorum, nec dum remissorum, quando remissioni obicem non ponit æger; *si in peccatis sit, remittentur ei.* Hæc nugis tuis & phlyarijs, quas folio 714. contra sacramenti huius effecta deblateras, oppono.

De Aqua Benedicta.


T aqua, & panes, & alia benedici solent: quæ rerum benedicendi consuetudo ab Apostolis vsque in Ecclesijs perpetuata est, vt ostendit Bellarminus libro 3. de Eccle. triumphante, capite 3. vbi abunde ad ineptias Kemnitij à te repetitas respondet. De omni creatura Dei scribit Apostolus 1. Timoth. 4. *Sanctificatur per verbum Dei, & orationem.* quanto amplius, si oratio non vnius, & alterius; sed totius Ecclesiæ nomine sit effusa. Bellarminus ait effectus aquæ, olei, & huiusmodi rerum benedictarum non esse tam infallibiles, quam sint sacramentorum effectus; tu folio 733. obijcis: *Quare oleum Catechumenorum & Infirmorum inter sacramenta numerant? Quare aqua, cum consecratur, appellatur salutare sacramentum?* Non loquitur Bellarminus de oleo ad sacramentorũ vsum consecrato; sed de benedicto ad modum, quo panes, vinum, aqua, & cetera interdum benedicuntur, & à viris sanctis benedicta frequenter sunt. Dein quis in 7. sacramento-

mentorum numero audiuit oleum Catechumenorum? nec infirmorum oleum extra vſum eſt ſacramentum; in vſu vero, ſacramenti pars ac materia eſt. Aqua benedicta ſacramentum dicitur, tanquam ſacrum quid & myſticum; quem huius vocis ſignificatum, ſi noueras, cur interrogas? ſi ignoras, næ male in Scripturis verſatus es.

§ 2. Folio 730. Benedicendæ aquæ originem refers ad Iudæos & Gentes. *ſicut non ideo contemnenda vel deteſtanda eſt virginitas ſanctimonialium, quia & veſtales virgines fuerunt*; ait S. Auguſtinus libro 20. contra Fauſtum, capite 21. ita nec ſacris Eccleſiæ ritibus calumniandum eſt, quia ſimilibus aliquando vſi ſunt Hebræi, aut Ethnici. Quæ calumnia non ſolum nos tangit, ſed veteres Patres, & viros ſanctiſſimos, ac inprimis Deum ipſum, cuius manu per eiuſmodi res benedictas mira patrata ſunt. Exempla plura refert B. Theodoretus in hiſtoria SS. Patrum. Ad S. Hilarionem Epiſcopi & omnis generis homines *concurrebant, vt benedictum ab eo panem, vel oleum acciperent. Conſtantia quadam, ſancta fœmina, cuius generum, & filiam de morte liberauerat vnctione olei*, &c. teſtatur S. Hieronymus in vita ipſius. Intellexerunt viri Spiritu ſancto pleni, cum eiuſmodi rerum ſenſibilium vſu expetita ſubſidia præſtare Deum, cuius conſilia nobis ſunt inſcrutabilia; impijs & incredulis ſæpe ſcandalum & ſtultitia.

ARTICVLVS XX.

De vſu linguæ vernaculæ in legendis S. Scripturis, officijs Eccleſiaſticis, & ſacramentorum adminiſtratione.



Acra biblia in linguam Germanicam translata, ante Lutherum habuimus, vt agnoscis, folio 745. quorum lectionem per se malam non esse nouimus; scimus tamen, *quia in ijs sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, ad suam ipsorum perditionem.* 2. Petri 3. Et S. Paulus: *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi; non escam; nondum enim poteratis. Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* 1. Corinth. 2. & 3. Iure ergo, ac prouide statuit Ecclesia, vt in tanta impune errandi licentia, non quibusuis Scripturæ adyta paterent; ne profundissima illius sapientia ante imperfectos effunderetur; neue solidissima esca paruulos & cacostomachos necaret, non pasceret. Eadem Hebrææ olim Ecclesiæ cura fuit; de qua S. Gregorius Nazianzenus in Apologia fugæ suæ in Pontum; *Hanc olim Hebræis legem fuisse narrant, inprimis egregiam, & laude dignam, qua non cuiuis ætati quiuis scripturæ liber concedebatur: nam ne hoc quidem vtilius esse, quandoquidem nec tota statim à quouis percipi, ac reconditissimus quisque locus, externa sui specie imperitioribus plurimum mali afferre possit.*

§ 2. Quam inepte ergo ratiocinatis folio 745. *Si in omni lingua prædicari debet verbum Dei; Biblia quoque in quouis idiomate haberi, imprimi, scribi, legi debent; ex quibus scilicet conciones desumuntur.* Si pultes sunt cibus infanti commodus; ergo etiam farina non subacta; vel grana tritici; quia ex his fiunt pultes. Concionator bonus *est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram,* Lucæ 12. spiritualibus escam solidam; paruulis cibum præmansum. Pro cuiusq; captu mysteria Dei dispensanda; non sine discrimine dissipanda sunt. Hanc Ecclesiæ in educandis filijs suis pietatem, in

eloquijs

eloquijs Diuinis dispensandis prudentiam ex fraudibus compactus Prædicans interpretatur fraudem esse, qua plebes interuertantur, ne ad veram Religionem conuertantur. Germanica biblia passim in Germania legi permittuntur; quam multi ex eorum lectione Lutherani fiunt? plerosque non litteræ; sed vinum & mulieres apostatare fecerunt. Legunt Scripturas Caluinistæ & Lutheristæ; & quotidie Lutherani proficiunt, quorum plurimi Caluinistæ esse incipiunt. Ex Scripturis Epistolas & Euangelia pro Dominicis & festis delegit Ecclesia, quæ tum voce è suggestu, tum typis publicantur, & omnibus commendantur; in quibus inuenire est præcipua, quæ tanquam euidentia pro vobis testimonia iactatis: ea fideles legunt & audiunt; supposita à vobis sensa nemo somniat.

§ 3. Exemplum sumo ex folio 746. Quoties legimus, audiuimus: *Mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Esaiæ 45. Roma. 14. *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Philip. 2. cui incidat glossa Heilbronneriana expressum mandatum his verbis dari, vt vulgari lingua peragantur in Ecclesijs Diuina officia? Quorsum genu flexio? forte præcipitur, vt in Germania Germano, in pagis rustico more fiat? Omnis lingua Deo confitetur in Catholica Romana Ecclesia; in qua veram Christi fidem ex omnibus Gentibus profitentur; vt Ecclesiastica officia omnium Gentium idiomate peragantur, nec à Deo institutum, nec vnquam in Ecclesia obseruatum fuit. Isaiæ verba sic leguntur: *Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* En expressum mandatum, vt Germani posthac Germanice iurent; Itali, Italice.

§ 4. Hoc ex Scripturis eiusmodi colligere sine reprehensione licuisset; quod vulgari lingua sacris operari non

sit Diuino iure prohibitum; & ab Ecclesia permitti queat, sicut olim Sclauonibus in fide paruulis permisit Ioannes IIX. & dispensandi ius similibus sententijs confirmat epist. 247. ex qua etiam apparet fabulam esse, quod ex Æneæ Siluij historia Bohemica refers de voce Diuinitus delapsa; *Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei:* qua voce Pontifex Nicolaus, vt in Dubrauio, libro 4. legitur, ad consentiendum Sclauonum postulato inductus sit. Rei gestæ testem nullum dant Siluius & Dubrauius, nec ipsi vocem ante tot secula editam audiuerunt: Tibi tamen adeo placuit, vt totum opus tuum repetita hac historia, seu fabula finire volueris: nam paradoxis & mendacijs refertum codicem non dedecet coronis fabula, aut fabulæ simillima; quæ tamen nobis nihil aduersatur; nam dispensationem suasit vox, siqua audita est; legem non posuit. Ex vobis interrogare libet, cuius spiritus sit tanta inter vos dissensio: est vbi Missas Germanicas, vel semilatinas facitis, quas alibi nec audire vultis; Vesperas quidam concinunt; alij eas rident, & contemnunt: nos scilicet rei sumus, qui Latine Diuina diu noctuq; officia persoluimus, vos Euangelici & sancti estis, qui ea nec Germanice, nec Danice celebratis; quibus gratiora sunt oblonga pemnata, & farcimina, quam multa psalmodia.

§ 5. Vt Græcis Græce; Latinis Latine sacramenta administrentur Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum voluit; id tu folio 747. generatim ad linguas cuiuis genti proprias falso trahis. Si sacramenta administranda sunt idiomate, quod intelligant ij, quibus conferuntur; cur baptizantur paruuli? vel dic, quam linguam ipsi nouerint. Ad sacram synaxin accedentes monet Apostolus, vt memores sint mortis Domini; at hoc fieri nequit, ais folio 748. nisi audiant, & intelligant, quæ dicuntur.

tur. Quasi vero hoc vel semel à parentibus, magistris, Ecclesiastis docti non possint esse memores. Semel & iterum instructi puelli, vt post cibum gratiarum actionis ne obliuiscantur, iussum explent; tametsi nemo sit, qui clamet gratias agendas esse. Sed & tota sacrificij Missæ actio est passionis Dominicæ repræsentatio, qua si ad eius memoriam quis non excitetur, forte etiam ad præconis vocem surdus fuerit.

§ 6. Folio 750. Principes & Magistratus politicos vis esse Iudices Ecclesiasticos. Saluo enim Ecclesiæ magisterio Prædicantibus saluis esse non licuerit; quare Regibus & Dynastis palpantur, quorum potentia protegantur. Norunt potestatis suæ limites Christiani Principes; se Ecclesiæ filios, non censores; oues, non pastores; populi duces, non sacerdotum Præpositos esse agnoscunt; & spiritualis regiminis sarcina se onerari potius, quam honorari sentiunt. neque enim ornat potestas, quæ non à Deo venit, sed rapina est.

§ 7. Folio 151. In Constantiensem Synodum debaccharis; quod decreuerit hæreticis non esse fidem seruandam, cum tamen iure Diuino & humano seruanda sit Iudæis, Turcis, & Paganis. Cur contra Diuina humanaque iura tam dapsile mentiris? Hoc Synodi decretum est; saluum conductum hæreticis datum non debere patrocinari pertinacibus, in Catholicæ fidei, vel Ecclesiasticæ Iurisdictionis præiudicium. Data fides cum ligat qui dedit, non alium; saluum conductum Husso Rex dederat, non Patres. sed nec Rex aliter, quam simplici formula, stiloque communi dedit, qui violentiam præter iuris ordinem illatam, non Iuris executionem impedit; quod te Iurisperiti tui docere poterant; audi Ioachimum Mynsingerum à Frundeck centuria 1. obseruationũ Cameræ Imperialis; cuius

hæc est 82. obseruatio. *Quando datur alicui saluus conductus, tunc intelligitur solum de violentia, quæ de facto contra ius infertur. Vt latè per Andr. Barba. in cap. in præsentia. num. 3. de probatio. Et ideo cuidam, qui habebat saluum conductum, capto propter delictum vel maleficium, & supplicanti pro mandato de relaxando, & citatione ad videndum, petiti processus à Dominis assessoribus sunt denegati.* Insuper memineris, quem folio 90. & 636. laudas S Isidori canonem. *In malis promissis rescinde fidem*; nec tam generatim promissa Iudæis & Ethnicis tanquam sancta proclames. Ex te sciscitari libet, quo iure instigetis vestros, ne fidem seruent Christianis Maioribus? verum bona Monasterijs & Ecclesijs non solum promissa, sed quod amplius est, re ipsa tradita, & appressis magnis sigillis, ac sub diuina attestatione in perpetuum relicta diripere, Euangelica Religio est. Quid? ipsi Deo facta vota sacrilege rescinditis. qua de re art. 4. & 17.

§ 8. Ad finem libri, fol. 754. nonnulla argumenta Cardinalis Bellarmini refers ex libro 2. de Verbo Dei, cap. 15. & à mendacio tam in margine, quam intra margines incipis, dum Bellarmino imponis hanc sententiam; quod Biblia tantum in tribus linguis habenda sint. *Catholica Christi Ecclesia non quidem prohibet omnino vulgares translationes, vt Kemnitius impudenter mentitur*, &c. Hæc Bellarminus, qui minime asserit Biblia non posse haberi, aut legi in lingua vernacula; sed commendat Pij IV. decretum, quo eiusmodi lectio conceditur, quibus ea fructuosa futura creditur. Controuersia potissima erat, an in publicis Ecclesiæ officijs vulgari lingua abstinendum sit; aientem partem is belle probat; tu barde impugnas: & quam Hebrææ, Syræ, ac Chaldææ linguarum peritus sis, ostendis fol. 754. cum scribis eas non adeo differre, quin vnius gnarus alias vtcunque intelligat. mihi plane persuades, te omnium trium rudem esse.

§ 9. Con-

§9. Contra Latinam linguam folio 756. rudis, eam inter barbaras haberi ab Apostolo, cum ad Romanos scribit: *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* cap. 1. quo non trahitis Scripturam? Græcorum nomine intelligi Gentiles, natione vel adoptione Romanos exposuit vetus interpres habitus Ambrosius; verius videtur sub neutris contineri Romanos; proxime antecedit: *Sæpe proposui venire ad vos, vt aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris Gentibus.* has distribuit Paulus in Græcos & barbaros. scio Græcis omnes alias Gentes fuisse barbaros; sed & Romanis barbari erant Græci. nos quærimus qui absolute sint appellandi barbari; in his qui Romanos orbis dominos, & bellica & ciuica virtute præ omnibus conspicuos censuerit, non iam barbarus, sed ipsa barbaries fuerit. Ceteris, quæ hic aduersum Bellarminum opponis, cuneo occurrit R. P. Iacobus Gretserus, to. 1. defensarũ Cardinalis Bellarmini Controuersiarum: tam bene acta non agam.

EPILOGVS.



POst plurimam fabulam epicitharisma canit Lauinganus Prædicans, rancidulum carmen balba de nare locutus Iesuitas prouocat, vt suos ocyus errores numerent; in hoc scilicet recenti Lutheranæ doctrinæ Corpore inclusos: addit;

Si contra mutire voles, paradoxa nouabis;
Et pro sexcentis mille ducenta dabis.

Non mutio, alta cunctis testor voce, me non tantum mille ducenta fæda errata & mendacia; sed longe plura adeo laudati à Prædicantibus Codicis numerare potuisse. Quis recenseat omnia tam vana nugamenta, tam ridiculos Scripturæ sacræ abusus; quæ nasum contrahant, stoma-

chum euertant; ad quæ vel discipuli alicuius manus auriculas imitetur mobilis albas! Satagebam, ne relinquerem, quæ tanquam ineuitabilia in nos mitterentur tela: contemptis infirmioribus.

§ 2. Ex scripturis, SS. Patribus, Canonibus, & historijs Ecclesiasticis se Augustanam Confessionem demonstraturum, antiquam, Catholicam, Christianam in fronte libri ampullatur Prædicans; & inuenio haud minimam partem produci ex Georgio Cassandro, Ioanne Auentino, Ludouico Viue, Polydoro Virgilio, Ioanne Balæo, Ioanne Cuspiniano, Onere Ecclesiæ, & similibus recentibus, nec melioris notæ auctoribus; ex quibus non raro probatur quid ante mille ac plures annos gestum sit, insuper habitis antiquissimis, & clarissimis testibus. Quæ stolida vanitas sæpius mendacibus eclogijs exornatur. Georgius Cassander nullius omnino inter Theologos nominis, dicitur noster propheta, fol. 144. præcipuus Theologus, fol. 165. Polydorus Virgilius vir apprime doctus, fol. 130. 606. &c. nostro calculo haud tantus. Non agitur de Virgilijs, Auentinis & eiusmodi; sed de Athanasijs, Basilijs, Gregorijs, Hieronymis, Augustinis, &c. his nos testibus, & fidei consortibus gloriamur.

§ 3. Obseruare potuerit lector nunquam nos Prædicantibus concedere vllum veterem Patrem, qui in articulis inter nos controuersis cum illis senserit; ipsi autem veritate conuicti, vetustate, doctrina, sanctimonia insignes nunc hunc, nunc alium nostra dogmata tenuisse sponte fatentur. Recolo ex ijs, quæ disputauimus vnum alterumque exemplum. Vnctio dexteræ in sacerdotis initiatione est Antichristi stigma Prædicanti, & tamen Siluestro I. tribuitur, qui tempore Constantini Magni ante 1300. annos Romanam Cathedram sanctissime rexit; quem totus orbis


bis Christianus suspexit. Singularis itidem nota Antichristi est Euangelicis nuptiatoribus Sacerdotum cœlibatus, quem in B. Siricium referunt, Romanum ante 1200. & plures annos Pontificem; sub cuius Pontificatu vixerunt, & in fide consenserunt SS. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Paulinus, Martinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Amphilochius Iconiensis, Gregorius Nyssenus, Ioannes Chrysostomus, Theodoretus. Quomodo hi contra hæreses vigilantissimi; & in Scripturis versatissimi Patres obticuerunt, si Siricius Antichristianum dogma non solum docere cœpit, sed etiam Episcopos & sacerdotes, quales illi erant, ad id opere exequendum lege obligauit? Nihil lumina Ecclesiæ in Siricij rescripto nisi sanctum, & veteris Ecclesiæ moribus receptum viderunt; ad immanem hæresim minime canes muti fuissent. In natam Romæ Iouiniani hæresin calamum strinxerunt, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus; & mox nouitatem prophanam abominata est Ecclesia. qua veri specie fingitur ad horrendum non tantum errorem, sed & tyrannidem (quam cœlibatus legem esse tenent Prædicantes) cuius adeo impatientes esse solent homines, obriguisse omnes? In vnico porro articulo mendacij conuictis nihil fidendum esse à Luthero pronunciata sententia est: *Suspecti eritis in omnibus alijs, semel deprehensi in tam crassa temeritate deprauandi Verbi Dei.* in assertione articuli 25.

§4. Et tamen intelligo Heylbronnerianum Codicem tanquam absolutissimam Augustanæ Confessionis doctrinam haberi, atque ad eum coëmendum Pastores, vt vocant, Palatinos ceu lege obstringi; nec satis est chartis illini tam mirifica paradoxa & mendacia, sed è pulpitis illa rubentes fartæq; buccæ personabunt. Rogaui Deum

Opt. Max. & rogo, vt quod contra venena hæc paraui antidoton, quam plurimis profit; obsit nemini; Catholicos in fide corroboret; errantes ad veritatem inquirendam amplectendamque exstimulet. Nec Prædicantes excipio, in quibus hæreses persequimur, ipsos Christi sanguine redemptos ad sempiternum interitum ruere indolescimus. Difficulter quidem corriguntur, quæ in prauum induruerunt; sed dextera Excelsi facit virtutem: cui benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, & honor in secula seculorum, Amen.



FINIS.



9-3-2